IOCVS POLITICVS

PER SERIA SAPIENTVM RESPONSA

In Vigintiquinque Capita diſtributus,


Et in lucem datus

A IOANNE PETRO MORELLI DE SCHENFELDT,
Philoſopho, & Iuriſconſulto Goritienſi.

DICATVS
ILLVSTRISSIMO DOMINO DOMINO
ALBERTO GOZIO
NOBILI VENETO.



VENETIIS, Typis Antonij Tiuanij, M.DC.LXXX.
Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.





ILLVSTRISSIMO

DOMINO. DOMINO.



VRbium, Regnorumque tutamen Politia, venerandum Palladis Simulacrum imitatur, Pergamea olim Vrbis fulcimentum Nobilium Disciplinarum è penu veluti è cœlo dilapsum. Ne subducatur ab hostibus, Zoilorum scilicet maledictis, in hoc paruo opusculo, veluti in Augustissimo Mineruæ Templo, occlusum, tuæ committere fidei æquum duxi; imò si illius Rami aurei, quem commenta Fabularum decantant, arboreos inter fœtus fulgurantis, Cumæis in Syluis, fatale germen Columba signauit, non ne tua, quæ Oleæ vertici Columba insidet Doctrinæ auream præmonstrare messem gaudebit? Sacratam Palladi veneratur Antiquitas Oleam; sua præcingi tempora ramis Oleæ tuæ affectat hæc Pallas, Iouis Scientiarum Puerperium. Aequo animo in tuas irem laudes, sed solius Apellis est immensam Gigantis molem ad-

miranda Artis Maiestate in parua Tabella designare. Inter Venetos refulges Patritios Prudentia, Comitate, Animi praestantia, & Munificentia praclarissimus, necnon Atalicis conditionibus felix, & licet atatis floreant in te primordia, senilem prudentiam omnes admirantur. Proh quanto etiam fulsere clarore faces, quas Hymeneus tibi proxime accendit, dum Venetorum Heroum DONATAM *Puellam Celeberrimis Nuptijs tibi coaptasti. Tantum igitur Gloria lumen adire liber hic gaudet, e meis prodiens typis, & nimio ne fulgore perstringatur, sub vmbra Nominis tui, dum profectò arboris Nomenclaturam, tenes, recumbet. Comiter excipias hoc mei obsequij humilimi argumentum oro, diuique viuas, dum sum, semperque ero*

Dominationis tua Illustriss.

Nonis Iunij Anno 1680.

Additiss. & Deuōtiss. Famulus
Antonius Tiuanus.

AD



AD · LECTOREM

PRÆFATIO·



Omo omnium animalium Princeps belluarum omnium continet feritatem: vt vbi ratio fixa, ibi rationis ludibrium conſpici: tanta vicinitate confinium virtutis, & vitij: quæ intra honeſtum ſola ſui natura ſuſtineri non poſſe. Niſi vetito, & admiſſo iure alterutrum definiretur: & ipſum vetare, & admittere alia fulciri, quæ dicitur poteſtas: primordio originis quemque æqualitatem adſcuerante. Magnum certè naturæ flagellum, quo principijs per artem inuentis aſſereretur ſeruitus, ſine qua nec libertas conſtare, nec ipſi ſerui durare. Et cui daretur vis imperandi penderet ab omnibus, quæ à ſingulis non concederetur: Poni itaque homini, & ſingulo, & vniuerſo forma, qua ſingularis, & vniuerſalis, intra ſtatuta libertatis, & ſeruitutis iura contineretur. Diuiſus Orbis in ſui creatione lucidus à tenebroſo: & datis luminaribus dies, & nox. Poſita iura queis homo, & die, & nocte videret, & quod factum eſt ab Archetypo, vt videret ſimpliciter, factum eſt ab homine, vt videret dupliciter: primo lumine ad duas metas reſpiciente. Fons legum ab ipſo lumine, Lumen ipſum legum variatiuum: quo cognoſceret non omnia eſſe viſibilia. Ita primò diſcretio iuris ſingularis à publi-

co,


co. Et quod priuatum magis licitum: publicum, non publicum, sed arcanum. Scilicet ipsum scire sustineri per ignorare: si neque omne scibile sciri. Sed quod primò insitum non euellitur manente radice: omne scibile voluit scire homo. Affectatà Sapientiæ libidine olim diuina: nunc secreta mortalium Principum rimari: quæ Tyranno congruunt Principi asserens, confusa iniuriæ, & iuris discratia: idque multis rerum politicarum aphorismis: quos quisque fingit, qui fictionem tenet esse politici: Facere, & fingere non distare Politico, dummodo par sit vtriusque euentus. Sed & ipsum esse politicum non definitum, nisi tot reluctantia principiorum auferatur. Non aliter iocor politicè, quàm vt seriè habeatur solùm honestum bonum, & turpe malum. Solum Principem, qui tantum vult, quantum iure potest: tyrannum, qui cùm omnia vult, nil rectè potest. Iocum dico: politicorum est iocari: seria inferre, ioco tegere. Priuati iuris sectator, publicarum animaduersionum curiositate iocor: per Sapientum, & præcipuè TACITI oraculum: quod audiui si non intellexi. Est enim nunquam satis intelligibile, cuius in omni terrarum parte digeruntur intellectus. Quod itaque Honesti fine: turpis verò metu, & ignominia in persona proborum, & perfidorum notaui. Tu te ipsum, & me nota. Vale.

IN-



INDEX CAPITVM

IN LIBELLO CONTENTORVM.



NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAuendo veduto per fede del Padre Inquisitore, nel Libro intitolato, *IOCVS POLITICVS*, *Authore Ioanne Petro Morelli de Schenfeldt*, non esserui cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica; e parimenti per atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi; concediamo licenza ad Antonio Tiuani di poterlo ſtampare, oſſeruando gli ordini, &c.

Data li 13. Maggio 1680.

(Nicolò Venier Caualier Riformator.
(Siluestro Valier Caualier, Procurator, Riformator.

Gio: Battiſta Nicoloſi Segretario.



IOCI POLITICI

CAPVT PRIMVM.

Miscellanea Politica præmittuntur.

Quæst. 1. QVid est homo? ℞. Est animal illuminatum.

Quæst. 2. Quid est Bestia Politica? ℞. Est quilibet in suo statu Tyrannus.

Quæst. 3. Quid est Politica? ℞. Est Ars artium. Nihil est difficilius quam bene imperare, experiendo didicisse Tiberium quam arduum, quam subiectum fortunę regendi cuncta onus.

Quæst. 4. Qualis esse debet Politicus? ℞. Alijs obscurus est sibi clarus.

Quæst. 5. Vnde perficitur? ℞. A rebus præteritis, quæ sunt optima rerum gerendarum documenta. Sapienter placita, & reperta non vertenda.

Quæst. 6. Quis est sine fundamento Politicus? ℞. Qui loquitur ad voluntatem, assentatur, assidet, & admiratur.

Quæst. 7. Politicus an debeat se a primis motibus continere? ℞. Prudens moderandi animum, si propria ira non impellatur.

Quæst. 8. An vis vel iniuria sit tolerabilior. ℞. Perpetuo naturæ iure constitutum, ac comparatum homines esse pu-

tant, vt imbecilior à potentiore vim, & regimen patiatur: ab æquali ne minimum quidem horum perferant.

Quæst. 9. An rerũ agendarum medium aptũ sit pecunia. ℞. *Quisquis habet nummos secura nauigat aura*
Fortunamque suo temperat arbitrio
Multa loquor quiduis nummis præsentibus opta
Eueniet clausum continet arca Iouem.

Quæst. 10. An ex excellentia ingenij quis ante experientiam possit dici Politicus. ℞. Quidam ad meliora excitantur magnitudine rerum hebescunt alij. Magistratus virum ostendis. Dignus imperare, si non imperasset.

Quæst. 11. Quomodo nimium elati sint corrigendi? ℞. Excalceentur, & ad staturam suam redeunt.

Quæst. 12. An Veritas sit odiosa? ℞. Malo veris offendere quam placere adulando.

Quæst. 13. An intersit Reipublicæ habere libera ingenia? ℞. Subinde iactat in Ciuitate libera linguam, mentesque liberas esse debere Punitis ingenijs gliscit authoritas. Reipublicæ interest vt facta quæque posteritati tradantur. Rara temporum felicitate, in quibus quæ sentire, & dicere liceat.

Quæst. 14. An mors soleat vitæ correspondere? ℞. Miserrima vita, pessima morte finitur.

Quæst. 15. An noceat malitia ea vtensi? ℞. Malitia maximam partem veneni sui bibis.

Quæst. 16. An ætate minore, ad magnos honores sint extollendi? ℞. Mobiles adolescentium animi præmaturis honoribus ad superbiam non extollendi.

Quæst. 17. Quid est veritas? ℞. Est rerum omniũ consonãtia constantia, ac firmitudò basis, & fundamentum Iustitiæ.

Quæst. 18. An vulgus lætiora credat? ℞. Lætiora statim credita, statim vuulgata.

Quæst.

Quæst. 19. Quæ est natura vulgi? ℞. Natura multitudinis est, vt aut seruiat humiliter, aut superbè dominetur.

Quæst. 20. Sequenda ne vtilitas absolutè? ℞. Videndum tamen omnino est: ne vtilitas vincat veram honestatem.

Quæst. 21. In Arduis quæ via sequenda? ℞. In arduis consilia rapienda, non quærenda sunt: & quod proximum, illud optimum. Inter ancipitia deterrimum est media sequi. Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.

Quæst. 22. An danda media ad finem. ℞. Dandi vitæ vsus, cui vita conceditur.

Quæst. 23. An manus sint eloquentes? ℞. Manus dextera Eloquentiæ ministra.

Quæst. 24. Quomodo vetita in lucem prodeant. ℞. Vetita occultis primum sermonibus crebescunt.

Quæst. 25. An tempus dissipet inania. ℞. Inanis credulitas tempore ipso vanescit.

Quæst. 26. An Paupertas probrosa? ℞. Turpis egestas. Paupertas probrosa nemini saluti plurimis fuit.

Quæst. 27. An dentur causæ bonæ facientes fructus malos? ℞. Veritas odium: Familiaritas contemptum: Securitas periculum pariunt.

Quæst. 28. An facilius sit sapientem quam Ignorantem satiare? ℞. Nequeunt expleri hominum amentium cupiditates, etiamsi quæcumque petierint consequantur, sed continuo maiora alia appetunt; & in infinitum progrediuntur: quod præcipuè multitudini accidit.

Quæst. 29. Quot sunt formæ Regiminis. ℞. Cunctas Nationes & Vrbes, Populus. Aut primores: aut singuli regunt.

Quæst. 30. An seruanda sit in Regimine moderatio? ℞. Nullum animal homine morosius est nullum maiori ar-

te tractandum: in neminem magis quam in illas insurgunt, quos imperium senserint moliri aduersus se. Memento te imperaturum esse, hominibus qui nec totam libertatem pati possunt nec totam seruitutem.

Quæst. 31. An pleraque Dominiorum initia sint illegitima. ℞. Si Princeps Iustitiam sequi velint: ac suum cuique restituere: quod vi, & armis occupauerunt: ad casas & egestatem reuersuri sunt.

Quæst. 32. Populare, an optimatum Imperium sit propiùs libertati? ℞. Populi Imperium iuxta libertatem: paucorum dominatio Regiæ libidini propior est.

Quæst. 33. Quomodo veritas, & falsitas valescant? ℞. Veritas visu, & mora: Falsa festinatione, & incerti valescunt.

Quæst. 34. An in vulgaribus ad Principem recurrendū? ℞. Maius quid & excelsius à Principe postulatur; & cum rectè factorum sibi quisque gratiam trahat: vnius inuidia ab omnibus peccatur.

Quæst. 35. An ab obscuris natalibus in altum elatus insolescat? ℞. Iunio Othoni litterarium ludum exercere vetus ars fuit: mox Saiani potentia Senator obscura initia impudentibus ausis propellabat.

Quæst. 36. Quod est rebus turbatis pessimum? ℞. Rebus turbatis, malum extremum discordia accessit.

Quæst. 37. An artes distent à falsis? ℞. Breue confinium artis & falsi: veraque obscuris sequuntur.

Quæst. 38. Vulgus an fortuita in culpam trahat? ℞. Mos vulgo fortuita ad culpam trahere.

Quæst. 39. Vbi scelerati animi homo corripitur an sit publica gratulatio? ℞. Cæsar Sextum Paconianum Prætorium perculit magno Patrum gaudio, audacem, maleficum omnium secreta rimantem.

Quæst. 40. An Hystorici omnia funesta tradant? ℞. Neq; sum

ſum ignarus à pleriſque ſcriptoribus omiſſa multorum pericula, & pęnas: dum copia fatiſcunt: aut quæ ipſis nimium mæſta fuerant, ne pari tædio lecturus adficerent verentur.

Quæſt. 41. An aliqua ambigua ſint cognitu digna? ℟. Auis Phœnix in Ægyptum venit: præbuitque materiam doctiſſimis indigenarum, & græcorum multa ſuper eo miraculo diſſerendi de quibus congruunt: & plura ambigua, ſed cognitu ne non abſurda promere libet.

Quæſt. 42. An ſcandaloſæ ſocietates corrũ pant iuuentutem? ℟. Vix artibus honeſtis pudor retinetur: ne dum inter certamina vitiorum pudicitia, aut modeſtia, aut quicquam probi moris reſeruaretur.

Quæſt. 43. An Paupertas, ſit magnum malum? ℟. Marcellus Aſinio Pollione proauo clarus, neque morum ſpernendus habebatur, niſi quod paupertatem præcipuum malorum credebat.

Quæſt. 44. An antiqua Roma fuerit ſalubrior? Reſ. Credebatur veterē illam formam, ſalubritati magis conduxiſſe: quoniā anguſtiæ itinerũ & altitudo tectorum, non perinde Solis vapore perrumperētur, at nunc patulam latitudinem, & nulla vmbra defenſam grauiore æſtu ardeſcere.

Quæſt. 45. An detur mixtum ex Optimo & Peſſimo? Reſp. Mucianus luxuria, induſtria: Comitate arrogantia; malis bonisque artibus mixtus, nimiæ voluptates cum vacaret; quoties expedierat magnæ virtutes.

Quæſt. 46. Electio Regis an ſapiat libertatem? Reſp. Loco libertatis erit, quod eligi cæp mus.

Quæſt. 47. An multitudo ſociorum tutiores reddat delinquentes? Reſp. Nemo priuatim expedito conſilio, inter multas ſocietate culpe tutior.

Quæſt. 48. An malis faciles ſimiles reperiantur? Reſp. Nec Sciti poterat traxerit ne Cæcinam (an quod euenit inter

ter malos, vt & similes sint) eadem illas prauitas impulerit.
Quæst. 49. Quæ vitia magnis & paucis Ciuitatibus communia? Resp. Ignorantia, & Inuidia.

CAPVT SECVNDVM.

De virtute, & eius Periculo.

Quæst. 1. AN virtus sit omni tempore tuta? Resp. Certa esse tempora in quibus magnis virtutibus certissimum est exitium. Industria, ac vigilantia non minus noxiæ, quoties parando Regno finguntur. Nullius tanta virtus, tanta potentia, aut fęlicitas fuit quæ tandem non incurrerit, & fuerit collapsa.

Quæst. 2. Quæ est Pietas in sæculo corrupto? Resp. Tiberij sæculo magna pietas fuit, nihil impiè facere.

Quæst. 3. An virtuti vitium coniungatur? Resp. Magnæ prudentiæ est, quemque cuique functioni pro indole sua admouere: ne inde magnæ rerum oriantur confusiones. Neque enim ex omni memoria inuentus est cuius virtutes, quamtumuis magnæ, nullo vitiorum confinio læderentur.

Quæst. 4. An intersit esse maximè meritum? Resp. Beneficia eousque læta sunt, dum videntur exsolui posse: vbi anteuenerint, pro gratia odium redditur.

Quæst. 5. An virtus dignitati respondeat. Resp. Nihil tam excelsum, quod non mereantur virtutes.

Quæst. 6. An præferendi semper sint docti imperitis? Resp. Modestæ imperitiæ: prudentia cum immoderata ambitione coniuncta postponenda.

Quæst. 7. An summa virtus tutior media sit? Resp. Eminentes virtutes numquam sectatus est, & rursum vitia ministrorum odijt. Sed id ideo quod ab optimis periculum sibi: à pessimis dedecus publicum metueret.

Quæst.

Quæſt. 8. Qualiter quis reddatur amabilis? Reſp. Illi comitas in ſocios: manſuetudo in hoſtes.

Quæſt. 9. An apud Romanos in diſtributione honorum perſonarum, an meritorum acceptio haberetur? Reſp. Apud maiores virtutis id præmium fuerat: cunctiſque ciuibus ſi bonis artibus fiderent, licitum petere magiſtratus: ac ne ætas quidem diſtinguebatur, quin prima iuuenta Conſulatum, & dictaturas inirent.

Quæſt. 10. Quæ ſint partes fortis animi? Reſp. Plurimum audaciæ ad pericula capeſſenda: plurimum conſilij inter ipſa pericula erat.

Quæſt. 11. Viro magno quantum conferat modeſtia? Reſp. Decreuere Patres triumphalia inſignia: quod Camillo ob modeſtiam impunè fuit.

Quæſt. 12. An Vir clarus præſentis vitæ cupidus oſtendebeat? Reſp. Maroboduus conſenuit: multum imminuta claritate, ob nimiam viuendi cupidinem.

Quæſt. 13. Quæ Hiſtorici ſint partes erga bonum & malum? Reſp. Exequi ſententias haud inſtitui: niſi inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore; quod præcipuum munus annalium reor: ne virtutes ſileantur: vſque prauis dictis factiſque ex poſteritate, & infamia metus.

Quæſt. 14. Quam laudabile ſit pauperem diteſcere, & non inſoleſcere? Reſp. Obiere eo anno En. Lentulus & L. Domitius: Lentulo ſuper conſulatum & triumphalia de Getulis fuit gloriæ: bene tolerata paupertas: De in magnæ opes innocenter paratæ, & modeſtæ habitæ.

Quæſt. 15. Oratorum ſine arte loquentium an ſit poſteritati memoria? Reſp. Q. Haterius familiæ Senatoriæ eloquentiæ quoad vixit celebratæ: monimenta ingenij eius haud perinde retinentur ſcilicet impetu magis quam vna vigebat: vſque aliorum meditatio, & labor in poſterum va-

valeſcit: ſic Haterij canorum illud ac profluans cum ipſo extinctum eſt.

Quæſt. 16. Veritas amicitiæ an probetur in aduerſis, & quæ eius laus? Reſp. Eques Romanus Titus Sabinus in carcerem tractus, ob amicitiam Germanici: neque enim omiſerat coniugem, liberoſque eius percolere: ſectator Domi, Comes in publico poſt tot clientes vnus: eoque apud bonos laudatus grauis iniquis.

Quæſt. 17. An multum decedat arti, ex ignorantia tractantium? Reſp. Plurimis mortalium non eximitur, quin primo cuiuſque ortu ventura deſtinentur: ſed quædam ſecus quam dicta ſint cadere: fallacijs ignara dicentium. Ita corrumpi fidem artis cuius clara documenta & antiqua ætas & noſtra tulerit.

Quæſt. 18. An Iuuenta ſcelerata, poſſit ſenecta virtutis deleri? Reſp. Cedunt prima poſtremis, & bona iuuentæ ſenectus flagitioſa oblitterat.

Quæſt. 19. An Vir Probus ſit alicui potentium inuiſus? Reſp. Arruntius ſemper alicui Potentium inuiſus; non culpa, ſed vt flagitiorum impatiens.

Quæſt. 20. Vir fortis an morte conteratur? Reſp. Idem viſo antea rogo, iuſſoque transferri partem in aliam: ne opacitas arborum vapore ignis minueretur: tantum illi ſecuritatis nouiſſimæ fuit.

Quæſt. 21. An Imperatores Romani fuerint eloquentes? Reſp. Adnotabant ſeniores, primum ex ijs qui rerum poſiti eſſent, Neronem aliena facundia eguiſſe.

Quæſt 22. Quando promouetur, emeritus videtur ne virtuti locus? Reſp. Quod Domitium Corbulonem retinendæ Armeniæ præpoſuiſſet: videbatur locus virtutibus patefactus.

Quæſt. 23. An fuerit Seneca benè reprehenſus à Iure-

con-

consulto Suillio? Resp. Suillius extrema senecta liber, Senecam increpans, infensum amicis Claudij, sub quo iustissimum exilium pertulisset: simul studijs inertibus, & iuuenum imperitiæ suetum, liuere ijs qui viuidam, & incorruptam eloquentiam tuendis ciuibus exercerēt Se. quæstorem Germanici, illum adulterum fuisse. An grauius æstimandum sponte litigatoris præmium honestæ operæ assequi: quàm corrumpere cubicula Principum fœminarum. Qua Sapientia? quibus philosophorum præceptis? intra quadriennium Regiæ amicitiæ termillies sestertium parauisset.

Quest. 24. Vir iustus an periclitetur improborum consessu? Resp. Thrasea Pætus silentio vel breui assensu priores adulationes transmittere solitus, exijt tum Senatu; ac sibi causam periculi fecit: cæteris libertatis initium non fecit.

Quæst. 25. An melius sit permittere libros aduersos, quàm prohibere? Resp. Veientonis libros exuri iussit: conquisitos lectitatosque donec cum periculo parabantur: mox licentia habendi obliuionem attulit.

Quæst. 26. Vir fortis Tyranno etiam in extremis an se subijciat. Resp. Cùm ad visendum Burrhum Princeps venisset: aspectum eius auersatum sciscitantique hactenus respondisse: Ego me benè habeo.

Quæst. 27. Quanta sit modestiæ laus? Resp. Modestiæ fama, neque à summis mortalium spernitur: & à Dijs æstimatur.

Quæst. 28. Abiectus animus an præferat pecuniam honori? Resp. Seruilis animus præmia perfidiæ reputauit: Simulque immensa pecunia & potentia obuersabantur: cessit fas, & Salus Patroni, & acceptæ libertatis memoria.

Quæst. 29. Si Viri probi interficiantur quanta Virtuti iniuria? Resp. Trucidatis tot insignibus viris, ad postremum

Nero virtutem ipſam excindere concupiuit: interfecto Thraſea Pæto; & Barrea Lorano.

Quæſt. 30. An Vir fortis ſi pereundum eſt, per gloriam pereat? Reſp. Segnes & pauidos ſupremis ſuis ſecretum circumdare: diſtingui certè apud poſteros memoriam honeſti exitus: ab ignauia per ſilentium pereuntium. Proinde intemeratus, impollutus quorum veſtigijs vitam duxerit: eorum gloria peteret finem. Mortem omnibus ex natura æqualem obliuione apud poſteros, vel gloria diſtingui. Ac ſi nocentem innocentemque idem exitus maneat: acrioris viri eſſe merito perire.

Quæſt. 31. An liceat inter ſæuientes ignoſcere? Reſp. Apud ſęuiētes occidere palā: ignoſcere non niſi fallendo licet.

Quæſt. 32. An dentur falſæ virtutes? Reſp. Plus formidinis afferebant falſæ virtutes, & vitia reddítura.

Quæſt. 33. An in hoſte virtus laudanda. Reſp. Eamdem virtutem admirantibus, cui iraſcebantur.

Quæſt. 34. Apud Romanos an præſtiterit virtus pecuniæ Reſpond. Inſtituto maiorum, virtute quàm pecunia res Romana melius ſtetit.

Quæſt. 35. An aliquando Sapientia ſit intempeſtiua? Reſp. Muſonius Rufus equeſtris ordinis ſtudium Philoſophię, & placita Stoicorum æmulatus cœptabat permixtus manipulis bona pacis ac belli diſcrimina differens armatos monere. Id plerique ludibrio: pluribus tædio: nec deerant qui propellerent, proculcarentque: ni admonitu modeſtiſſimi cuiuſque, & alijs minitantibus omiſiſſet intempeſtiuam ſapientiam.

Quæſt. 36. Quæ bona & quæ mala apud ſapientes? Reſp. Doctores ſapientiæ tradunt, ſola bona quæ honeſta: mala tantùm quæ turpia: Potentiam, Nobilitatem, cœteraſque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant.

Quæ.

Quæſt.37. Fortes viri an omnibus terris tales? Reſp. Quomodo lucem Diemque hominibus omnibus: ita omnes terras fortibus viris natura aperuit.

Quæſt.38. Quo tempore virtus maximè æſtimetur? Reſp. Virtutes ijſdem temporibus maximè æſtimantur: quibus facillimè gignuntur.

Quæſt. 39. Eſt ne difficile retinere in Sapientia mōderationem? Reſp. Agricola retinuit quod eſt difficillimum in Sapientia modum.

Quæſt.40. Quæ ſunt ſeruitutis ſpecies à vulgo pro humanitate habitæ? Reſp. Paulatim diſceſſum ad delinimenta vitiorum: porticus & balnea, & conuitiorum elegantiam: idque apud imperitos humanitas vocabatur: cùm pars ſeruitutis eſſet.

Quæſt.41. Vir Politicus & probus an retineat odium? Reſp. Ex iracundia nihil ſupererat: ſecretum & ſilentium eius non timeres: honeſtius putabat offendere, quā odiſſe.

Quæſt.42. Magno Viro quid maximè formidabile? Reſp. Id maximè formidoloſum priuati hominis nomen, ſupra Principis attolli.

Quæſt.43. An ſub malis Principibus poſſint eſſe magni viri? Reſp. Sciant quibus moris illicita mirari: poſſe etiam ſub malis Principibus viros eſſe.

Quæſt.44. Quid Alexander de mora ſenſerit? Reſp. Odi lenta remedia & ſegnes medicos: nam mori ſtrenuè, quàm tardè conualeſcere malo.

CAPUT TERTIUM.

De Principe, & eius Dotibus.

Quæſt. 1. AN Princeps debeat à rerum ſacrarum occupatione abſtinere? Reſp. Pone Prin-

cipes eorũ ſicut Oreb,& Zeb, & Zebec,& Salmana:omnes Principes eorum, qui dixerunt, hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei: Deus meus pone illos vt rotam: & ſicuti ſtipulam ante faciem venti.

Quæſt. 11. Quid in Principe faciat Pietas, et Iuſtitia? Reſp. A Principibus iniuſtis nihil ſperant homines: & non facilè factio, aut ſeditiones coaleſcunt aduerſus eas: quas caras eſſe & protegi diuino Numine credunt.

Quæſt. 3. Quæ ſit Baſis Regnorum? Reſp. Religio, Iuſtitia, & Scientia militaris.

Quæſt. 4. An Rex æquè iudicare debeat pauperes ac diuites? Reſp. Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Tibi relictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.

Quæſt. 5. An ſub bono Principe fiſcus ſit priuilegiatus? Reſp. Quæ præclara gloria tua eſt, ſæpius vincitur fiſcus: cuius mala cauſa eſt, niſi ſub bono Principe.

Quæſt. 6. An Princeps peccet in miniſtris? Reſp. Incumbit Principi, vt non ſe vnum modò, ſeu omnes miniſtros ſubditis, & Reipublicæ præſtet. Quidquid enim hi rectè, vel ſequius egerint id dominis adſcribatur: taleſque illlos cuncti cenſent: qualia illi facta exercere ſeruos permiſerint. Qui enim caſtigare aut ſaltem cohibere cum poſſit non cohibet palam eſt eum permittere, & pœnè mandare.

Quæſt. 7. An Princeps ipſe debeat curas ſuſcipere? Reſ. Auguſti animus in omnes curas diſtrahitur.

Quæſt. 8. Quid præcipuè debeat reſpicere Princeps. R. Præcipua rerum ad famam dirigenda ſunt. Suum cuique decus poſteritas rependit.

Quæſt. 9. An expediat Principem tempore, pacis armatum eſſe? Reſp. Haud quiſquam facile prouocare audet

aut

aut facere iniuriam ei regno, aut populo quem intelligit expeditum atque promptum ad vindicandum esse.

Quæst. 10. An Princeps debeat semper scelera aperire? Resp. Proprium Tiberio scelera nuper reperta.

Quæst. 11. An Princeps multos habere debeat exploratores? Resp. Non Principem, sed Principi suo metuere: multis ille oculis videt: multis auribus audit: præsentitque ea quæ aguntur.

Quæst. 12. An bonum vel malum Principis sit bonum vel malum Reipublicæ? Resp. Ita nati estis vt bona, malaque vestra ad Rempublicam pertineant.

Quæst. 13. Quam gloriam erga Principem subditus prętendere debeat? Resp. Tibi imperandi, mihi obsequij gloria relicta est.

Quæst. 14. An Regis regula æquitas esse debeat? Resp. Beatissimus est Rex, qui sedet super cathedra æquitatis: cùm lex naturæ consentit.

Quæst. 15. An Principi tota gloria sit referenda? Resp. Hæc Regum, atque Principum conditio est: vt nolint quēquam se potiorem habere: sed casus aduersos ministris suis tribuant: secundos fortunæ suæ.

Quæst. 16. Per frequentiam suppliciorum an aliquid Principi decedat? Resp. Sicut medico indecora multa funera, ita Principi ac magistratui multa supplicia ignominiosa.

Quæst. 17. An Princeps remotis, an proximis sit venerabilior? ℟. Maior ex longinquo reuerentia. Fama ex longinquo acuta.

Quæst. 18. An Principi loquantur homines dum ei loquuntur? Resp. Homines cum Fortuna Principum magis: quam ipsis plerumque Principibus loquuntur.

Quæst. 19. An Deus vlciscatur subditos cedentes Principes? Resp. Memoriæ proditum est Iulij Cæsaris & Gordiani

diani Imperatorum aduersarios ijsdem gladijs occubuisse. Cum enim Deus sit author Imperiorum, numquam cædes summorum magistratuum inultas præterijsse.

Quæst. 20. An Maiestas sit diuisibilis? Resp. Non capit Regnum duos.

Quæst. 21. An Princeps iniustas preces exaudire debeat? Respon. Principes instar Deorum sunt; sed neque à Dijs nisi iustæ supplicum preces exaudiuntur.

Quæst. 22. An ex excellentia ministrorum arguatur excellentia Principis? Resp. Præcipuum inditium non magni Principis magni liberti.

Quæst. 23. Parui Principes quo medio se tueri debeant? Resp. Nisi summa necessitudo, aut opportunitas extet: melius fuerit actu, & consilijs res externas moliri: quam raptis armis in præcipites casus fortunas suas dare.

Quæst. 24. Quis dicatur debilis Princeps.? Resp. Qui bellum mouere aptus non est.

Quæst. 25. An Princeps si per clementiam possit: per seueritatem auertere debeat insidias? ℞. Melius vti clementia: ne per seueritatem totus insidiarum nexus, & catena rumpenda, & incidenda sit. Aliter parentibus liberisque eorum, qui interfecti sunt, in singulorum locum succedentibus.

Quæst. 26. Quid est maiestas? ℞. Est Politicum ens per se.

Quæst. 27. An rebus difficilibus Regno cedendum? ℞. Nec turpius quicquam, quàm sine certamine cessisse regno: nec præclarius quicquam, quàm pro dignitate, & maiestate omnem fortunam expertum esse.

Quæst. 28. An vbi arcana Imperij tentantur, Princeps debeat dissimulare? ℞. Haud dubium erat eam sententiam altius penetrare: & arcana imperij tentari. Tiberius tamen quasi augeretur potestas eius distulit. Fauorabili in

spe-

speciem oratione vim imperij tenuisse.

Quæst. 29. An vbi splendor stemmatis, & maiorum merita Principi referuntur: fieri debeat modeste? ℞. En stirps, & progenies tot Consulum, tot Dictatorum, nec ad inuidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ refero: adsequentur florente te Cæsar quos dederis honores. Interim Q: Hortensij pronepotes diui Augusti alumnos ab inopia defende.

Quæst. 30. An Princeps moderatè debeat exhaurire ærarium? Resp. Si ærarium ambitione exhauserimus: per scelera supplendum erit.

Quæst. 31. Debet ne Princeps ignauos subleuare? ℞. Languescet alioquin industria, intendetur socordia: si nullus ex se metus, aut spes, & securi omnes aliena subsidia expectabunt: sibi ignaui, nobis graues.

Quæst. 32. An Principes recordentur gestorum secum ante adeptum Principatum? Resp. Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur: inuisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset.

Quæst. 33. An media vel extrema Regibus placeant? ℞. Quia Regibus æqua, nec dum infima insolita sunt: finem vitæ sponte, an fato impleuit.

Quæst. 34. An populorum miseria excitet Principem ad clemētiam? ℞. Asperrima in Sardinianos lues, plurimum in easdem misericordiæ traxit: nam centies sestertium pollicitus Cæsar & quantum ærario, aut fisco pendebant in quinquennium remisit.

Quæst. 35. Princeps an priuatorum hæreditatibus debeat inhiare? ℞. Magnificam in publicum largitionem auxit Cæsar haud minus grata liberalitate, quod bona Æmiliæ Musæ locupletis intestata petita in fiscum: Æmilio Lepido cuius è domo videbatur: & Patulei diuitis Equitis Ro-

Romani hæreditatem (quamquam ipse hæres in parte legeretur) tradidit Marco Seruilio, quem prioribus, neque suspectis tabulis scriptum comperer at: nobilitatem vtriusq; pecunia iuuandam præfatus.

Quæst. 36. An Princeps prodigos, & flagitiosos iuuare debeat? ℞. Cœterum vt honestam innocentium paupertatem leuauit: ita prodigos & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium mouit Senatu, aut sponte cedere passus est.

Quæst. 37. An Princeps spernere debeat sibi maledicta? ℞. Cæsar postulauit si quæ de Augusto irreligiosè dixisset: in sè iacta nolle in cognitionem vocare.

Quæst. 38. Quid gloriosius Principi Pax, an Bellum? ℞. Lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmauit, quam si bellum per acies confecisset.

Quæst. 39. Princeps an debeat summos homines refutare? ℞. Neque tamen ab ea Parentis Patriæ delatum, & antea vocabulum assumpsit; acerbèque increpuit eos, qui diuinas occupationes, ipsumque Dominum dixerant.

Quæst. 40. Est ne gloria Senatus aut Principis hostes veneno pellere? ℞. Responsum est non fraude, neque occultis sed palam & armatum Populum Romanum suos hostes vlcisci: qua gloria æquabat se Tiberius priscis Imperatoribus, qui venenum in Pyrrum Regem vetuerant, prodiderantque.

Quæst. 41. An aduersæ fortunæ aprehensorem se Princeps ostendere debeat? ℞. Tiberius atque Augusta publico abstinuere inferius maiestate tua rati si publicè lamentarentur.

Quæst 42. Quo medio Princeps distrahat vulgi sermones? Respond. Gnauum id Tiberio fuit, vt que premeret

ret vulgi ſermones, monuit edicto.

Quæſt. 43. Princeps cùm publicè loquitur an debeat meditatè loqui? ℞. Die Senatus Cæſar orationem habuit meditato temperamento.

Quæſt. 44. An Principi ſucceſſori ſit recens offenſionum memoria? Reſp. Tiberius reſpondit ſibi aduerſus Syllanum integras Parentis ſui offenſiones: neque reditu Sylani diſſoluta, quæ Auguſtus voluiſſet.

Quæſt. 45. An Princeps vultu mutari debeat aduerſorum ſucceſſu? ℞. Tiberius tanto impenſius in ſecuritatem compoſitus, neque loco, neque vultu mutatus: Sed vt ſolitum per illas dies egit altitudine animi.

Quæſt. 46. Quantum perdat Princeps ſi ad vana, & irrita deuoluatur? ℞. Tiberius ſi modum orationi poſuiſſet miſericordia ſui, gloriaque animos audientium impleuiſſet: ad vana & toties irrita deuolutus, vero quoque & honeſto fidem dempſit.

Quæſt. 47. An Princeps de facili iniuriarum obliuiſcatur? ℞. In præſens Tiberius ciuiliter habuit, ſed in animo reuoluente iras: etiamſi impetus offenſionis langueret: memoria valebat.

Quæſt. 48. An Principi glorioſum bellum Imperij proferendi? ℞. Hiſtorico inglorius labor immota quippe, aut modicè laceſſita pax mæſtæ vrbis res Princeps proferendi Imperij incurioſus erat.

Quæſt. 49. Princeps ſi vitam armis defendere cogatur: in quo ſit ſtatu? ℞. Tiberius Senatui reſcripſit: nec ſibi vitam tanti ſi armis tegenda foret.

Quæſt. 50. An multi pœnas effugiant obliuiſcente potiùs, quàm parcente Principe? ℞. Rubrius Fabatus nullas probabiles cauſas longinquę peregrinationis adferebat: manſit tamen incolumis obliuione magis quàm clemẽtia.

Quæſt. 51. Quæ tenere firmiter debet pro ſui conſeruatione & gloria Rex? ℟. Conſeruatio ab amore populariũ: gloria à tuorum hoſtium metu quæritur.

Quæſt. 52. Princeps in honore offenſus an pauca loquatur? ℟. Claudius parata concione m litum: apud quos pauca verba fecit: nam eſti iuſtum dolorẽ pudor impediebat.

Quæſt. 53. Princeps an domeſtica mala inquirere ſoleat? ℟. Nuntiatumque Claudio perijſſe Meſſalinam, non diſtincto ſua an aliena manu, nec ille quæſiuit: popoſcitque poculum, & ſolita conuiuio celebrauit.

Quæſt. 54. Difficulter ne credunt Principem diſſimulaturum maiora: ſi leuibus intendat? ℟. Manifeſtum fieri magnarum rerum curam non diſſimulaturos: qui animum etiam leuiſſimis aduerterent.

Quæſt. 55. Bonus Princeps an in pœnalibus temperet leges? ℟. Non quidquid nocens reus pati mereretur, id egregio ſub Principe ſtatuendum. Carnificem & laqueum quidem abolita, & eſſe pœnas legibus conſtitutas: quibus ſine iudicum ſæuitia, & temporum infamia ſupplicia decernerentur.

Quæſt. 56. Quis eſt finis ſermonum cum Principe? ℟. Seneca, qui finis omnium cum dominante ſermonum grates egit.

Quæſt. 57. Ex quo à vulgo æſtimentur Imperatores? ℟. Imperatores forma, & decore corporis (vt mos eſt vulgo) comparantur.

Quæſt. 58. Princeps quo motiuo benè reget? ℟. Vtiliſſimum erit cogitare: quid aut volueris ſub alio Principe, aut nolueris.

Quæſt. 59. Princeps indigens pecunia vbi eam extorquere debeat? ℟. Proxima pecuniæ cura: & cuncta ſcrutantibus iuſtiſſimum viſum eſt: inde repeti vbi inopię cauſa erat. Quæſt.

Quæst. 60. Quæ propriæ Galbæ natura? ℞. Magis extra vitia, quàm cum virtutibus.

CAPVT QVARTVM

De Legibus.

Quæst. 1. AN melius sit bonis ordinibus, an legibus pœnalibus vti? ℞. Legibus delicta puniri, quanto melius prouideri ne peccaretur.

Quæst. 2. Princeps quando vti debeat Poteſtate? ℞. Non vtendum imperio, vbi legibus agi poteſt.

Quæſt. 3. An legibus ſtandum ſit? ℞. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis.

Quæſt. 4. An Legum mutatio expediat? ℞. Non facilè & ſine magno motu mutari poſſe: quod longo tempore radices egit.

Quæſt. 5. Multitudo legum, quid arguat. ℞. Corruptiſſima Republica plurimæ leges.

Quæſt. 6. Quando ius valeat? ℞. Vt odium & gratia deſinunt, ius valet.

Quæſt. 7. An ex delictis oriantur bonæ leges? ℞. Vſu probatum eſt: leges egregias, exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gigni.

Quæſt. 8. An ab antiquo rigore recedendũ? ℞. Nocuit antiquus rigor, & nimia ſeueritas cui iã pares non ſumus.

CAPVT QVINTVM.

De Politicis, & eorum dolis.

Quæſt. 1. QVid faciunt inimici Politici. Reſpond. Dolus interualla ſcelerum poſcebat. Sub

dola mora criminum probationes subuertit.

Quæst. 2. An Sceleratus desistat à Scelere? Resp. Venena & artes, semel feliciter expertæ in alterius exitium facilè vertuntur. Felix scelerum quia prima prouenerant.

Quæst. 3. Quis à Politico reputetur inimicus? Respon. Qualiscunque fortunæ meæ non est adiunctus.

Quæst. 4. An Politicus sit fœlix? Resp. Nunquam erit fœlix, quem torquebit felicior.

Quæst. 5. An Politicus negotijs obruatur. Resp. Negotia pro solatijs habet.

Quæst. 6. An medici se Principum secretis immisceant? Resp. Eudemus amicus ac Medicus Liuiæ specie artis frequens secretis.

Quæst. 7. An Potentes inducant accusationes in alios per pecunias? Resp. Delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur.

Quæst. 8. Quibus medijs violator fidei sit aggrediendus. Resp. Corbulo m ssis qui Ganascum dolo aggrederentur: nec irritæ, aut degeneres insidiæ fuere aduersus transfugam, & violatorem fidei.

Quæst. 9. Quomodo sublatus Claudius. Resp. Infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam: socordia ne Claudij, an vinolentia.

Quæst. 10. Quo medio aptiori æmulus deturbetur, qui hostiliter superari non potest? Resp. Errat enim L. Paulo (aiebat Fabius) si tibi minus certaminis cum C: Terentio quàm cum Annibale futurum censes. Nescio an infestior hic aduersarius, quàm ille hostis maneat: & cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis & temporibus certaturus es.

Quæst. 11. An vbi timetur multorum complicitas sit

Reus

Reus publicè puniendus vel inquisitio nimiùm attenuanda? Resp. Nec Tiberius pœnam eius palam ausus, in secreta palatij parte interfici iussit: corpusque clam auferri: & quemquam multi è domo Principis ac Senatores sustentasse opibus: iuuisse consilijs dicerentur haud quæsitum.

Quæst. 12. Patrati an incepti criminis malint esse scelerati? Respon. Reschuporis inter metum & iram cunctatus maluit patrati, quàm incepti criminis reus esse. Occidi Cotyn iubet, mortemque sponte sumptam ementitur.

Quæst. 13. Quid faciant inimici authoritate publica freti. Resp. Sed à Sentio priuatum odium falsis criminibus tegente.

Quæst. 14. Quo genere veneni vtuntur potentes in vindictæ, & prauitatis exercitium? Resp. Igitur Seianus maturandum ratus, deligit venenum: quo paulatim irrepente fortuitus morbus adsimularetur.

Quæst. 15. An negotijs arduis secedere conducat? R. Quiete & solitudine abesse tœdia, & offensiones, ac præcipua rerum maximè agitari.

Quæst. 16. Princeps discedens vrbe an causas non veras & maximè pietatis prætexere studeat. Res. Inter quæ diu meditato prolatoque consilio: tandem Cæsar in Campaniam specie dedicandi templum apud Capuam Ioui, apud Nolam Augusto: sed certus procul Vrbe degere.

Quæst. 17. Facta atrocia promens an loco illustri id agat? Resp. Tiberius cùm sæuitiam ac libidinem factis promeret: locis occultabat.

Quæst. 18. Scelerum ministri ac tandem ab eodem indictore affligantur? Resp. Tiberius scelerum ministros; vt peruerti ab alijs nolebat: ita plerumque satiatus, & oblatis in eandem operam recentibus veteres, & prægraues afflixit.

Quæst. 19. Volens aliquem delicti accusatum in ruinam

vt-

vrgere, quid addere consueuit? Resp. Ancharius Priscus, Cæsium Cordum Proconsulem Cretæ postulauerat repetundis: addito maiestatis crimine, quod tunc omnium accusationum complementum erat.

Quæst. 20. Princeps longum meditans, an atrociùs prorumpat? Resp. Tiberius lentus in meditando vbi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta coniungebat.

Quæst. 21. Vt amici non deficiant, cunctandum ne in inimici oppressione? Resp. Præueniens inimicorum astus, amicorum pœnitentiam.

Quæst. 22. Quibus verò medijs? Resp. Neque exuerat pædorem vt vulgum miseratione aduerteret: non fraus, non preces, nihil omissum quo ambiguos illiceret: prompti firmarentur.

Quæst. 23. An Medici opera studeant Regnum affectantes intelligere Regentis statum? Resp. Caricles Medicus, non quidem regere valetudines Principis solitus: consilij tamen copiam præberet, ad Tiberium digrediens, & per speciem officij manum complexus pulsum venarum attigit, neque fefellit: labi spiritum nec vltra biduum duraturum Macroni firmauit.

Quæst. 24. Facilitas Principis quantæ fiduciæ sit, res magnas mollientibus? Resp. Facilitas Imperatoris fiduciam dabat: si atrocitate criminis præualuissent, posse opprimi damnatam, antequam ream.

Quæst. 25. Quomodo ab æmulis possit Princeps assecurari? Res. Vologeses vt æmulationis suspectos per nomen obsidum amouêret: tradit nobilissimos ex familia Arsacidū.

Quæst. 26. Si capiti nationis gratiæ offerantur, & natio ipsa spernatur: quid prætenditur? Resp. Boiacalo per illas nationes claro ob memoriam amicitiæ daturū agros: quod ille vt proditionis pretium aspernatus addidit: deesse nobis

nobis terram in qua viuamus,in qua moriamur nõn posse.

Quæst. 27. An multi vi nocendi promoueantur? Resp. Vatinius primò in contumelias assumptus deinde optimi cuiusque criminatione, eo vsque valuit, vt gratia pecunia; nocendi etiam malos præmineret.

Quæst. 28. An aliqui specie philosophiæ dolos machinentur? Resp. P. Egnatius authoritatem Stoicæ sectæ præferebat: habitu & ore ad experimendam imaginem honesti exercitus:cæterum animo perfidiosus, & subdolus auaritiam ac libidinem occultabat.

Quæst. 29. Magni viri plerumque an dent ambigua mandata? Resp. Mucianus ad Primum, & Varrum media scriptitabat: instandum ceptis: aut rursus cunctandi vtilitates edisserens: atque ita compositus: vt ex euentu rerum, aduersa abnueret: vel prospera agnosceret.

Quæst. 30. An dentur vitia industriosa? Resp. L. Vitellio quamuis infami inerat industria: nec virtutibus vt boni, sed quomodo pessimus quisque vitijs valebat.

Quæst. 31. Politicus si æmulum palam deturbare nequeat,quid agat? Resp. Mucianus quia propalam Antonius opprimi nequibat: multis in Senatu laudibus cumulatum secretis promissis onerat: citeriorem Hyspaniam ostentans discessu Cluuij Ruffi vacuam: simul amicis eius tribunatus præfecturasque largitur. Dein postquam inanem animum spe & cupidine impleuerat, vires abolet.

Quæst. 32. Cùm occultis hostibus quomodo agendum? Resp. Inter ambiguos milites & occultos hostes optimum è præsentibus ratus mutua dissimulatione, & ijsdem quibus petebatur artibus grassari.

Quæst. 33. Libertas an nomen speciosum? ℞. Libertas, & speciosa nomina prætexuntur: nec quisquam alienum seruitium, & dominationem sibi concupiuit: vt non eadem

dem ista vocabula vsurparet.

Quæst. 34. An Adulationis ergo scribatur à bonis heres malus Princeps? ℞. Tam cæca & corrupta mens assiduis adulationibus erat, vt nesciret à bono Patre non scribi hæredem nisi malum Principem.

Quæst. 35. Vbi Ministri morbo correpti fit frequens à regijs visitatio, quid conijciendum? ℞. Per omnem valetudinem eius, crebriùs, quàm ex more Principatus per nuntios visentis & libertorum primi, & medicorum intimi venere: siue cura illud, siue inquisitio erat.

CAPVT SEXTVM

De Tyranno.

Quæst. 1. QVid ostentant tyrannidem affectantes. ℞. Libertatem præferunt, & libertatem ipsam aggrediuntur. Credebatur si rerum potitus foret libertatem redditurus.

Quæst. 2. An eadem sit interna, ac externa tyranni facies? ℞. Palam compositus pudor, intus summa adipiscendi libido. Odia in longum iaciens quæ reconderet, arctaque promeret.

Quæst. 3. Exosis Tyranno & innocens, quomodo arguatur: ℞. Verba mea arguuntur: adeò sum factorum innocens. Defertur moliri res nouas.

Quæst. 4. Qui sint Tyranno exosi? ℞. Tiberius Arruntium diuitem, promptum artibus egregijs, & pari fama publicè suspectabat.

Quæst. 5. Quomodo Tyrannus aliorum honores corripiat? ℞. Tiberius moderandos fœminarum honores dictitans: eadem se temperantia vsurum in his, quæ sibi tribuerentur: cœterùm anxius inuidia, & muliebre fastigium in di-

diminutionem ſui accipiens.

Quæſt. 6. Quodnam principium teneant Tyranni? Reſ. In ſumma fortuna id æquius quod validius. Viro aut Vrbi principi nihil iniuſtum, quod fructuoſum.

Quæſt. 7. An Tyranni ſibi ipſis finaliter exoſi? Reſpond. Reputante Tiberio publicum ſibi odium, extremam ætatem, magiſque fama quàm vi ſtare.

Quæſt. 8. An fidendum ſit Tyranno honores deferenti? Reſp. Atque interim Libonem ornat prætura: conuictibus adhibet non vultu alienatus, non verbis commotior (adeò iram conſiderat) cunctaque eius dicta factaque cùm prohibere poſſet ſcire malebat.

Quæſt. 9. Tyranni quomodo iura ſubuertant? Reſp. Et quia vetere ſenatuſconſulto quæſtio in caput Domini prohibebatur: callidus & noui iuris repertor Tiberius mancipari ſingulos actori publico iubet: ſcilicet vt in Libonem ex ſeruis ſaluo Senatuſconſulto quæreretur.

Quæſt. 10. Quàm fallacia ſint Tyrannorum iuramenta? Reſp. Iurauitque Tiberius petiturum ſe vitam quamuis nocenti: niſi voluntariam mortem properauiſſet.

Quæſt. 11. Tyrannus an facilè Senatus conſilijs acquieſcat? Reſp. Inclinatio Senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius aduerſaretur.

Quæſt. 12. Iratus Tyrannus an iram diſſimulatione miſceat? Reſp. Sermo ceptus à Cæſare, qualem ira, & diſſimulatio gignit.

Quæſt. 13. An alti ſtipitis proles Tyranno ſemper ſuſpecta ſit? Reſpon. Nihil tamen Tiberium magis penetrauit: quàm ſtudia hominum accenſa in Agrippinam: cùm decus Patriæ, ſolum Auguſti ſanguinem, vnicum antiquitatis ſpecimen appellarent: verſique ad cœlum ac Deos integram illi ſobolem, ac ſuperſtitem iniquorum precarētur.

D Quæſt.

Quæſt. 14. An ſub Tyranno præſtet eſſe famoſum? Reſ. Poſtquàm cœdibus ſæuitum: magnitudo famæ exitio erat.

Quæſt. 15. An Tyrannus relinquat ſpeciem Reipublicæ ſibi vim principatus retinendo? Reſp. Tiberius vim principatus ſibi firmans imaginem antiquitatis Senatui præbebat: poſtulata prouinciarum ad diſquiſitionem Patrum mittendo.

Quæſt. 16. An ipſi Tyranno ſordeſcat hominum illuſtrium vilis abiectio? Reſp. Tiberius quoties è curia egrederetur: græcis verbis alloqui ſolitus: O homines ad ſeruitutem paratos? Scilicet etiam illum qui libertatem publicam nollet: tam proiectæ ſeruientium patientiæ tædebat.

Quæſt. 17. An ſola forma, an alijs motiuis inducatur Tyrannus ad libidines exercendas? Reſp. Tiberius ſaxa rurſum, & ſolitudinem maris repetijt, pudore ſcelerum & libidinum: quibus adeò indomitis exarſerat: vt more regio pubem ingenuam ſtupris pollueret: nec formam tantùm, & decora corpora, ſed & in his modeſtam pueritiam: in alijs imagines maiorum incitamentum cupidinis habebat.

Quæſt. 18. An interna Tyrãni viſcera morſibus propriæ ſynderesis dilanientur? Reſp. Non fruſtra ſapientiſſimus firmare ſolitus eſt: ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando vt corpora verberibus: ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.

Quæſt. 19. An rarum ſit magnum animum temperamento modeſtiæ ſub Tyranno ſe fatis reſeruare? Reſp. L: Piſo Pontifex rarum in tanta claritudine fato abijt: nullius ſeruilis ſententiæ ſponte author: & quoties neceſſitas ingrueret ſapienter moderans.

Quæſt. 20. Sub Tyranno an diuitiarum auiditas moreat ad ruinam? Reſp. Sextus Marius Hiſpaniarum ditiſſimus, defertur inceſtaſſe filiam, & Saxo Tarpeio deijcitur. Ac ne du-

dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertisse: aurarias eius quamquàm publicarentur sibimet Tiberius sepofuit.

Quæst. 21. An sub Tyranno ob calamitates suis illatas intersit se offensum demonstrare? Resp. Caius Cæsar immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce, qualem diem Tiberius induisset: pari habitu, haud multum distantibus verbis.

Quæst. 22. An habituatus & callidus Tyrannus aperiat aliquando scelerum atrocitatem? Resp. Penetrabat pauor, & admiratio callidum olim, & tegendis sceleribus obscurum: huc confidentiæ venisse: vt tanquam dimotis parietibus ostenderet Nepotem sub verbere centurionis, inter seruorum ictus extrema vitæ alimenta frustra orantem.

Quæst. 23. Quis Rex facilè deseratur? Resp. Deseritur Rex sæuus in Pace: & aduersis prœliorum exitiosus.

Quęst. 24. Tempore Tyrannico an atrocia aduertantur? Resp. Neque quod morte adfecti forent: adsuetudine malorum, vt atrox aduersabatur.

Quæst. 25. An Tyrannus inhians facultatibus vasallorum facilè credat iniurias sibi illatas? Resp. Valerium Asiaticum bis Consulem fuisse quondam adulterum eius credidit Claudius: pariterque hortis inhians, quos ille à Lucullo cęptos insigni magnificentia extollebat.

Quæst. 26. An scelerati apud Tyrannos sint instrumenta regni? Resp. Deligitur artifex talium vocabulo Locusta, nuper veneficijs damnata: & diu inter instrumenta regni habita.

Quæst. 27. Sub Tyranno quæ sit causa necis? Resp. Mors Iunij Syllani proconsulis Asiæ dolo Agrippinę paratur: quæ L: Syllano fratri eius necem molita vltorem metue-

bat: & quod spectaretur è Cæsarum posteris: Hæc causa necis.

Quæst. 28. Extincto aliquo per dolum à Tyranno quid dein agat? Respon. Additurum Principem defunctæ templum & aras & cœtera ostentandæ pietatis.

Quæst. 29. An Tyrrannus post atrox factum se lenem ostendere satagat? Resp. Nero demota matre quo acutam lenitatem suam testificaretur: fœminas illustres, & viros sedibus Patrijs reddidit, ab Agrippina olim pulsos.

Quæst. 30. Prodestne sub Tyranno non esse antiquæ prosapiæ, & quietum? Resp. Vixit post hæc Regulus quiete defensus: & quia noua generis claritudine, neque inuidiosis opibus erat.

Quæst. 31. Tyranni quo violentiæ principio innitantur? Resp. Non ignauia magna Imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen: Id in summa fortuna æquius quod validius: & sua retinere priuatæ domus: de alienis certare regiam laudem esse.

Quæst. 32. Tyrannus vt facit scelera ita ne audit? Resp. Nero vt faciendis sceleribus promptus: ita audiendi quæ faceret insolens erat.

Quæst. 33. Qui Pellicem Principis sine licentia matrimonio ducit: an eum offendat? Resp. Accesserat recens causa offensionis, quod Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi iunxerat: haud nescius inter adulteros eius, & Cæsarem esse.

Quæst. 34. Improbi homines quid laudent pro virtutibus? R. Nero laudauit apud rostra Poppæam: formam eius, & quod diuinæ infantis Parens fuisset: aliaquæ fortunæ munera pro virtutibus.

Quæst. 35. An Tyrannus quærat interficere coniunctos à se sublati? Resp. Haud minus promptè L. Vetus sacrus-

crusque eius Sentia & Pollutia filia necem subiere; inuisi Principi tanquam viuendo exprobrarent interfectum esse Rubellium Plautum generum Lucij Veteris.

Quæst. 36. Tyrannus an cœde inimici & æmuli summe lætetur? Resp. Otho caput Pisonis insatiabilibus oculis perlustrasse: & vt inimici, & æmuli cœde lætari ius fasque credebat.

Quæst. 37. Tyrannus in initio Principatus an scelera prohibere valeat? Resp. Othoni nondum authoritas inerat ad prohibendum scelus: iubere iam poterat.

Quæst. 38. Tyrannus cùm audit reos, an plene audiat? Resp. Suetonium Paulinum, & Licinium Proculum tristi mora squallidos tenuit: donec auditi necessarijs magis defensionibus, quàm honestis vterentur.

Quæst. 39. Quis dies post malum Principem bonus? Resp. Optimus post malum Principem dies primus.

Quæst. 40. Quomodo mali Principes tolerandi? Resp. Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cœtera naturæ mala: ita luxum, & auaritiam dominãtium tolerate.

Quæst. 41. Magnus vir tempore Tyranni à quibus debeat abstinere? Respon. Domitiani verò præceps natura in iram: & quo obscurior & irreuocabilior: moderatione tamen prudentiaque Agricolæ leniebatur: quia non contumacia, neque inani iactatione libertatis famam, fatumque prouocabat.

CAPVT SEPTIMVM.

De Fama.

Quæst. 1. AN famæ deferendum? Resp. Non ex rumore statuendum: & famam esse sermonem sine vllo certo authore dispersum: cui malignitas initium

722
322

tium, dederit: credulitas incrementum: quod nulli non etiam innocentissimo potest accidere: fraude inimicorum falsa vulgantium. Fama malum plurimum mendax: quæ ne tum quidem, cùm aliquid veri affert: sine mendacij vitio est: detrahens, adijciens de veritate. Quid quod ea conditio illi est: vt nisi cùm mentitur perseueret. Et tamdiu venit, quam diu non probat. Suspiciones imbecillæ: & inania famæ non pertimescenda.

Quæst. 2. An fama secreta Principum aperiat? Respon. Habet hoc magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: Principum verò non modò domos, sed cubicula ipsa, intimos recessus recludit: omniaque arcana noscenda famæ explicat & proponit.

Quæst. 3. Quod est maius Principum flagellum? Resp. Atrocior semper fama, erga Dominantium exitus.

Quæst. 4. An Principum potentia subtrahat futuri temporis famam? Resp. Præsenti potentia non extinguitur sequentis æui memoria.

Quæst. 5. Reddat ne magis gloriosum funus pompa: an actionum illustrium memoria? Resp. Funus sine imaginibus, & pompa: per laudes & memoriam virtutum eius celebre fuit.

Quæst. 6. Quæ verba à Tiberio dicta mereantur immortalitatem? Resp. Sequentia in Senatu prolata: Ego me P: C: mortalem esse, & hominum officia fungi: satisque habere, si locum Principem impleam: & vos testor, & meminisse posteros volo: qui satis superque memoriæ meæ tribuent: vt maioribus meis dignum, rerum vestrarum prouidum, constantem in periculis, offensionum pro vtilitate publica non pauidum credant: hæc mihi in animis vestris templa: hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ: nam quæ saxo struuntur: si iudicium posterorū in odiū

vertit,

vertit, pro Sepulchris ſpernuntur. Proinde ſocios, Ciues, & Deos ipſos precor: hos vt ad finem vſque vitæ quietam & intelligentem humani, diuinique iuris mentem donent: illos vt quandocumque conceſſero, cum laude, & bonis recordationibus facta atque famam nominis mei proſequantur.

Quæſt. 7. Quanta ſit in Principe famæ cura? Reſp. Cœtera Principibus ſtatim adſunt: vnum inſatiabiliter parandum: proſperam ſui memoriã: nam contemptu famæ contemni virtutes. Cęteris mortalibus in eo ſtare conſilia quod ſibi conducere putent: Principum diuerſam eſſe ſortem: quibus præcipua rerum ad famam dirigenda.

Quæſt. 8. Exiſtente fama de trepidatione Principis quid agere debeat? ℞. Cæſar quo famam auerteret: adeſſe frequens Senatui: Legatoſque audiebat.

Quæſt. 9. In magna Vrbe an priuatorum acta deliteãt? ℞. Romæ ſueti diſcurſus, & magnitudine Vrbis incertũm, quod quiſque ad negotium pergat.

Quæſt. 10. An iuuet ad victoriam fama mortis aduerſi Ducis. ℞. Fama occiſi falsò credita exterruit Parthos: victoriamque conceſſere.

Quæſt. 11. Principi an cura ſit in poſteros relinquere recordationem? ℞. Tiberio non perinde curæ gratia præſentium: quàm in poſteros ambitio.

Quæſt. 12. Vir fortis an præferat caſum ſuum ex cauſa magna, quàm leui, & non forti manu? ℞. Aſiaticus honeſtius calliditate Tiberij: vel impetu C: Cæſaris periturum dixit: quam quod fraude muliebri, & impudico Vitellij ore caderet.

Quæſt. 13. An magni Viri teſtamentum valdè conſideretur? ℞. Veranius magna vixit ſeueritatis fama ſupremis teſtamenti verbis ambitionis manifeſtus.

Quæſt.

Quæst. 14. Vbi mors ineuitabilis, quæ sit eligenda? ℞. Moriendum victis, moriendum deditis: id solum referre nouissimum spiritum, per ludibrium, & contumelias effundant: an per virtutem.

CAPVT OCTAVVM.

De Ingenijs res nouas cupientibus.

Quæst. 1. QVid de magnis ingenijs in ordine ad Rempublicam sentiendum? ℞. Sceleratis ingenijs, & plusquam ciuilia cupientibus non dominari instar seruitutis est.

Quæst. 2. Qui res nouas moliantur? ℞. Sæpe in ciuitate quibus opes nullæ sunt, noua expetunt, vetera odere: odioque suarum rerum mutari omnia student. Qui priuatim degeneres & ignaui, in publicum & Principem exitiosi nihil spei nisi per seditiones habent. Impossibile est cùm homines sua prodigè consumpsere, vt non res nouas, & Reipublicæ mutationem: aut ipsi tyrannidi insidiando: aut alios ad ipsam vocando quærant.

Quæst. 3. An Nobiles sint insolentes? ℞.

Nobilitas fastum: fastus litem parat & armat.
Lis Odium capiunt: hæc tria mortis iter.

Quæst. 4. An fidendum sit pollicitationibus res nouas, & potentiam affectantis? ℞. Alius cupientium, alius adeptorum animus esse solet.

Quæst. 5. An qui anhelant ad honores sint promouendi? ℞. Inuitos non ambientes Reipublicæ præficiendos.

Quæst. 6. An potentes sint ociosi relinquendi ℞. Ingenia quæ cum Principatus, & pluris habendi cupidine conflictantur: si à consuetis occupationum exercitijs cessant: difficile tolerari possunt.

Quæst.

Quæſt. 7. An in ſeditionibus ſit conſideranda paruitas cauſæ? Reſp. Omnes fermè ſeditiones non de paucis, ſed ex paruis rebus exoriuntur.

Quæſt. 8. Quis putetur aptus nationibus turbandis? Reſp. Aſiaticus genitus Viennæ: multiſque & validis propinquitatibus ſubnixus: turbare gentiles nationes promptum haberet.

Quæſt. 9. Genius Nobilitatis an turbido, vel claro tempore gaudeat? Reſp. Interim Gotarzes contrahit copias, reuocante nobilitate cui in pace durius ſeruitium eſt.

Quæſt. 10. An homini vago fidendum? Reſp. Trepidabatur à Cæſare: quippè Getæ Prætorij præfecto haud ſatis fidebat: ad honeſta ſeu praua iuxta leui.

Quæſt. 11. An vaga ingenia gaudeant publica calamitate? Reſp. Cæcina ægrè paſſus miſcere cuncta, & priuata vulnera Reipublicæ malis aperire ſtatuit.

CAPVT NONVM.

De Prudentia.

Quæſt. 1. FOrtunæ & tempori an aliquando cedendum? Reſpon. Fortunæ ſæuienti ſubmittendus animus. Æmulatione potentiæ, validiores non irritandi. Relinquendum rumoribus tempus quo ſeneſcant: plerumque innocentes recenti inuidia impares. Multa quæ prouideri non poſſunt fortuitò in melius accidunt. Optimum officium eſt poſſe, non ſolùm reſiſtendi, ſed etiam cedendi prudenter inſpicere.

Quæſt. 2. Occaſio quàm benè capienda? Reſpond. In occaſionem capiendam intenti, paratique homines eſſe debent: ne præbenti ſeſe fortunæ deſint: ſed oblatam caſu ad conſilium flectant: eaque prouidè, & audacter vtan-

E tur:

tur: ne si in occcasionis momento: cuius citò prætereuolat opportunitas cunctati paulò fuerint: nec quicquam mox omissum querantur. Nec consilio, aut celeritate, nec etiam virtute, aut quantalibet potentia tantæ res: quantæ occasionis opportunitate geruntur.

Quæst. 3. An cedendum loco instante persecutione? Resp. Conspiratione inimicorum, & inuidia falsi criminis nusquam locus veritati,& innocentiæ.

Quæst.4. An miseri sint prudentes? Resp. Qui aduersa fortuna prostrati, non tamen se tradiderunt: hi per constantiam & prudentiam ipsas necessitates calcare possunt.

Quæst.5. An magnus vir si à ceptis desistat, prudenter agat? Resp. Multa magnis viris sicut non aggredienda: ita semel aggressa non facilè dimittenda sunt.

Quæst. 6. An honores moderatè petendi? Resp. Moderatus cursui, qui vult propius regredi.

Quæst. 7. Coram Superbis quomodo loquendum? Resp. Haud tutum contumacius loqui, apud aures superbas: & offensioni proniores.

Quæst.8. In malo domestico an quis lætus esse debeat? Respon. Mala domestica tristitia operienda.

Quæst.9. An Orator debeat seruare modestiam? Resp. Facundia non est violentia præcipitanda.

Quæst.10 Abstinendum ne etiam à vanis? Resp. Stolida, & vana, & si mollius acccipiantur moderanda.

Quæst. 11. An quisque honorum delationem bono animo suscipere debeat? Resp. Magis nullius interest, quàm tua T: Octauille non imponi ceruicibus tuis onus sub quo concidas. Turpe est quod nequeas capiti committere pondus. Expressum inflexo mox dare corda genu.

Quæst.12. Cùm Princeps dicit se respondisse vrgendum ne est? R. Senát Tiberius, & cùm paululum reticuisset

ſet Hortalo ſe reſpondiſſe ait. Neque miſeratus eſt poſt hac Tiberius quamuis domus Hortenſij pudendam ad inopiam dilaberetur.

Quæſt. 13. An expediat ſe ſuperioribus commiſcere, an cum eis altercari? Reſp. Superflua aduerſus Rectores querela.

Quæſt. 14. An magnæ ſtirpis vir debeat in aduerſa fortuna vultum accommodare? Reſp. Igitur cultu, vultuque, quàm maximè ad præſentem fortunam comparato: Regiam ingreditur Mithridates.

Quæſt. 15. Qui veneno interimi dubitat: quos cibos maximè vitare debeat? ℞. Infuſum delectabili cibo boletorum venenũ: nec vim medicaminis ſtatim intellectam.

Quæſt. 16. Qui neſciens Principem offendit, an debeat deprecari, vel ignorantiam continuare? ℞. Iulius Montanus per tenebras cum Principe congreſſus: quia vim tentantem acriter repulerat: deinde agnitum orauerat: quaſi exprobraſſet mori adactus eſt.

Quæſt. 17. An intuitu maiorum ſint reticenda nomina degenerantium filiorum? ℞. Egeſtate venales, & fato perfunctos ne nominatim tradam: maioribus eorum tribuendum puto.

Quæſt. 18. An quis debeat eundo benè præconſiderare regreſſum? ℞. Eundi vltro ſi ratio ſit eamdem mox facultatem: regreſſus ſi pœniteat in aliena poteſtate.

Quæſt. 19. An cunctatio & media via ſemper bona? ℞. Ipſe inutili conſultatione: agendi tempora conſultando conſumpſit: mox vtrumque conſilium aſpernatus: quod inter ancipitia deterrimum eſt: dum media ſequitur: nec auſus eſt ſatis, nec prouidit.

Quæſt. 20. An Sapiens quærat lucrum cum damno publico? ℞. Vulgus ad magnitudinem beneficiorum aderat:

ſtultiſſimus quiſque pecunijs mercabatur: apud ſapientes caſſa habebantur, quæ neque dari, neque accipi, ſalua Republica poterant.

Quæſt. 21. Quomodo vir fortis inuidiam vitare poſſit? ℞. Virtute in obſequendo, verecundia in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam fuit.

CAPVT DECIMVM.

De Fortuna, & eius varietate.

Quæſt. 1. AN felicitati fidendum? ℞. Qui felici & prolixo rerum ſucceſſu inſoleſcit: is non animaduertit, quàm infida atque infelici audacia efferatur: Cùm incerti ſint exitus omnium bellorum: Marſque communis, qui ſæpè ſpoliantem, iam & exultantem ab abiecto perculit, & auertit.

Quæſt. 2. Quid diligatur in Principe? ℞. Sunt magis cum fortuna noſtra, quàm nobiſcum. Vindicabitis vos, ſi me potiùs, quàm fortunam meam fouebatis.

Quæſt. 3. Quid præſeruet ab inuidia? ℞. Magnitudinem, & grauitatem ſumma fortuna retinens: inuidiam, & arrogantiam effugit.

Quæſt. 4. Quid agere debeat, qui Fortuna extollitur? ℞. Quidquid in excelſo faſtigio poſitum eſt: humili, & trita conſuetudine quo ſit venerabilius vacuum eſſe conuenit.

Quæſt. 5. An quo maior eo diligentior & cautior? ℞. Seianus nimia Fortuna ſocors: & muliebri cupidine incenſus.

Quæſt. 6. An ſit bonum in ſummo claritatis faſtigio verſari? ℞. Sæua & ſuperba ingenia: quæ humanæ felicitatis terminos tranſgrediuntur: de ſuo ſtatu deturbantur, & in nihilum rediguntur.

Quæſt.

Quæst. 7. Quem in certamine pium, vel impium fortuna puniat? Resp. Initoque certamine pertinacior impietas: fortunæ iudicio morte mulctata est.

Quæst. 8. An fortes viri cedant necessitati? Resp. Cedit interdum generosus spiritus vtilitati: & fortunæ viribus succumbit: vbi nisi tutiora elegerit consilia, & tutiora concidendum est.

Quæst. 9. An fallax sit hominum de Principis successione coniectura? Resp. Mihi quantò plura recentium, seu veterum reuoluo: tantò magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotijs obuersantur: quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio: quàm quem futurum Principem fortuna in occulto tenebat.

Quæst. 10. An fortunati Principes interno malo quandoque affligantur? Resp. Vt valida Diuo Augusto in Rempublicam fortuna: ita domi improspera fuit: ob impudicitiam filiæ, ac neptis, quas vrbe depulit: adulterosque earum morte, aut fuga puniuit.

Quæst. 11. An rerum etiam mortalium sit quidam orbis? Resp. Nisi fortè rebus cunctis insit quidam velut Orbis: vt quemadmodum temporum vices: ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora: sed nostra quoque ætas multa laudis, & artium imitanda posteris tulit.

Quæst. 12. An obsequio quis æquè ac libertate clarescere: & medij summis honoribus præstent? Resp. Nam illa ætas duo pacis decora simul tulit: sed Labeo incorrupta libertate, & ob id fama celebratior. Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur: Illi quod præturam intra stetit, commendatio ex iniuria: huic quod Consulatum adeptus est odium ex inuidia oriebatur.

Quæst. 13. An sufficiat esse Sapientem, an non etiam requiratur sapientiæ fortuna? Resp. Lepidum temporibus

illis

illis grauem, & sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque à sæuis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat: cum æquabili authoritate, & gratia apud Tiberium viguerit. Vnde dubitare cogor fato, & sorte nascendi vt cœtera: ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos. An sit aliquid in nostris consilijs, inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium, pergere iter ambitione, & periculis vacuum.

Quæst. 14. An bonitas Principis in statu priuato: perseueret vbi in altum eleuatur? Resp. Tiberius egregius vita, famaque, quo ad priuatus in Imperijs sub Augusto fuit: Dein post tantam rerum experientiam, vi dominationis conuulsus, & mutatus est: Postremò in scelera simul, & dedecora prorupit: postquam remoto pudore, & metu: suo tantùm ingenio vtebatur.

Quæst. 15. An qui apud Principem maximè possunt, formident mutationem? Resp. Domus Principis inhorruerat: maximèque quos pœnes potentia: etsi res verterent, formido.

Quæst. 16. An semper dites, & sine successione æstimentur? Resp. Galuia Crispinilla potens pecunia, & orbitate, quæ bonis, malisque temporibus iuxta valent.

CAPVT VNDECIMVM.

De Dominio, & alijs vitijs Fœminarum.

Quæst. 1. AN Fœminarum dominatio desiderabilis? Resp. Sexus muliebris insolens, ac superbus, vbi licentia accessit: totus in auaritiam, ac sæuam crudelitatem effunditur. Nihil relinqui Imperatoribus, vbi fœmina manipulos interuisat, signa adeat, largitionem tentet.

Quæst. 2.

Quæſt. 2. An arcana mulieri communicanda? Reſp. Secreta viri corrupta vxore producuntur. Salluſtius monuit Liuiam: ne arcana domus, ne miniſteria militum vulgarentur.

Quæſt. 3. Cauendum ne fœminæ impudicæ? Reſp. Fœmina amiſſa pudicitia, alia flagitia non abnuit.

Quæſt. 4. Quo motiuo cum fœminis agendum? Reſp. Facilis fœminarum credulitas ad gaudia.

Quæſt. 5. An Agrippina Claudium morte violenta ſuſtulerit? Reſp. Agrippina de genere veneni conſultauit: ne repentino, & præcipiti facinus proderetur: ſi lentum, & tabidum delegiſſet: ne admotus ſupremis Claudius, & dolo intellecto ad amorem filij rediret: exquiſitum aliquod placebat, quod turbaret mentem, & mortem differret.

Quæſt. 6. An multi doli exerceantur miniſterio fœminarum? Reſp. Vt verſa Cæſarum ſobole Imperium adeptus eſt: elicit Archelaum matris litteris, quæ non diſſimulatis filij offenſionibus clementiam offerebat: ſi ad precandum veniret: ille ignarus doli, vel ſi intelligere crederetur vim metuens: in vrbem properat.

Quæſt. 7. Quanta eſt in fœmina Nobili impudicitiæ confeſſio? Reſp. More inter veteres recepto qui ſatis pęnarum aduerſum impudicas in ipſa profeſſione flagitij credebant.

Quæſt. 8. An per vxores Iudices auro corrumpi ſoleant? Reſp. Cogitarent ipſi quoties repetundarum aliqui arguerentur: plura vxoribus obiectari.

Quæſt. 9. Vxoris error an in Mariti culpam redundet? Reſp. Fruſtra noſtram ignauiam alia ad vocabula transferri: nam viri in eo culpam: ſi fęmina modum excedat.

Quæſt. 10. An ſceleratus per vxorem æmuli ruinam atten-

tentet? Reſp. Cuncta tentanti Seiano, promptiſſimum viſum ad vxorem Druſi Liuiam conuertere. Quæ Soror Germanici formæ initio ætatis indecoræ: mox pulchritudine præcellebat.

Quæſt. 11. Quo verò medio corrumpitur æmuli vxor? Reſp. Liuiam vt amore incenſus adulterio pellexit: & poſtquam primi flagitij potitus eſt: neque fęmina amiſſa pudicitia alia abnuerit: ad coniugij ſpem, conſortium regni, & Mariti necem impulit.

Quæſt. 12. An fęcunditate fęmina inſoleſcat? Reſp. Superbia fęcunditate ſubnixa popularibus ſtudijs inhiat dominationi.

Quæſt. 13. Quis fęminarum animis alliciendis aptus? Reſp. Fuſius Conſul gratia Auguſtæ floruerat: aptus alliciendis fęminarum animis dicax.

Quæſt. 14. An formident Miniſtri Principem fęminæ ſubiectum crudeli? Reſp. Subibat ſine dubio metus: reputantes hebetem Claudium: & vxori deuinctum: multaſque mortes iuſſu Meſſalinæ patratas.

Quæſt. 15. An fęmina ſciat malis miſcere bona? Reſp. Agrippina ne malis tantùm facinoribus noteſceret: veniam exilij pro Annæo Seneca ſimul Præturam impetrat: lætum in publicum rata ob claritudinem ſtudiorum eius.

Quæſt. 16. An etiam apud gentes fuerit muliebre Imperium ignominioſum? Reſp. Accenſi hoſtes ſtimulante ignominia, ne fęminæ imperio ſubderentur.

Quæſt. 17. An fęminæ ſoleant in vitijs æmulari? Reſp. Vtraque impudica, infamis, violenta: haud minus vitijs æmulabantur: quàm ſi qua ex fortuna proſpera acceperant.

Quæſt. 18. Fęmina an promptè accipiat occaſionem facinoris? Reſp. Tum Agrippina ſceleris olim incerta: &

oblatæ

oblatæ occasionis propera, nec ministrorum egens, de genere veneni consultauit.

Quæst. 19. Quæ sunt extrema pessimæ fœminæ? Resp. Proximi amicorum orabant, metuebantque cauere insidias mulieris semper atrocis, tum & falsæ.

Quæst. 20. Quid tentent pellices, vt euertant apud Maritum vxorem? Resp. Poppæa diu pellex, & adulteri Neronis: mox Mariti potens: quemdam ex Ministris Octauiæ impulit seruilem ei amorem obijcere.

Quæst. 21. Estne bonum muliebre consilium? Resp. Cepit vxoris consilium muliebre, ac deterius.

CAPVT DVODECIMVM.

De Humana fœlicitate, & infœlicitate.

Quæst. 1. QVæ sit vera tranquillitas? Resp. Insignis vitæ tranquillitas, nullis Reipublicæ negotijs permixto.

Quæst. 2. An elatus celeriter euitet inuidiam? Respon. Nec fumum ignis gignit, nec inuidiam gloria: si subitò, ac celeriter effulgeat.

Quæst. 3. Inter quas non regnet inuidia? Resp. A diuersis virtutibus profecta gloriæ cupiditas contentionibus non est obnoxia.

Quæst. 4. An diu viuat qui cum Principe moritur? Resp. Satis vixit, qui cum Principe vitam expleuit.

Quæst. 5. Quæ est fœlicitatis, & infœlicitatis comes? Resp. Primæ inuidia: postremæ misericordia.

Quæst. 6. An altum dominium sit solamini subditorum? Resp. Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia: & subuerti iustitiam in Prouincia non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius: & super

hos quoque eminentiores sunt alij. Et insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.

Quæst. 7. An vita rustica sit laudabilis? Resp. Vita rustica parsimoniæ, iustitiæ, & diligentiæ magistra.

Quæst. 8. Quid magis hominem pessumdet fœlicitas, vel infœlicitas? Resp. Miseriæ tolerantur: fœlicitate corrumpimur.

Quæst. 9. An Populus exultet si videat publicos fures malè partis non gaudere? Respon. Grande gaudium fuit, quòd tam pauperes forent: quibus donasset Nero: quàm quibus abstulisset.

Quæst. 10. Exauctoratio Principis an commoueat humanum genus? Resp. Nec quisquam adeò rerum humanarum immemor: quem non commoueret illa facies: Romanum Principem, & generis humani paulò ante dominum, relicta fortuna, sua sede, per populum per Vrbem exire de Imperio.

Quæst. 11. Quàm bonum sub bono, quàm malum sit esse sub malo Principe? Resp. Sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce, ac Principem Traianum videre, augurio votisque apud nostras aures ominabatur: ita festinatæ mortis grande solatium tulit: euasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non iam per interualla, ac spiramenta temporum: sed continuò, & velut vno ictu Rempublicam exhausit.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Publica, & Propria Securitate.

Quæst. 1. AN domesticorum fides, & fœminarum conducat ad propriam securitatem? Resp. Spargi venenum in tres non poterat: egregia custo-

dum

dum fide, & pudicitia Agrippinæ impenetrabilis.

Quæst. 2. An alienis viribus fidendum? Resp. Leui momento magnæ sæpè amicitiæ, & societates dirimuntur. Nihil rerum mortalium magis instabile, ac fluxum quàm fama potentiæ non sua vi nixæ.

Quæst. 3. An sufficiat distare ab inimico insida familia? Resp. Suorum insidijs externas inter gentes occidit.

Quæst. 4. Quid ex luxu, & luxuria Ciuium arguendum? Resp. Nec enim vllum magis certum, aut minus fallax ægræ, & mox victuræ Ciuitatis indicium solet esse: quàm vestium, & conuiuiorum luxuria.

Quæst. 5. Quæ sunt ruituræ Reipublicæ præambula? Resp. Excessus luxuriæ: mutatio Religionis: discordia, & factio optimatum: impunitas atrocium delictorum.

Quæst. 6. An malum vsurarum multa in Republica interuertat? Resp. Vetus vrbi fęnebre malum: & seditionum, discordiarumque creberrima causa.

Quæst. 7. Cui rei prius consulendum vindictæ, an securitati? Resp. Certatim cęteri circumstrepunt iret in Castra Claudius firmaret prætorias cohortes: Securitati antequam vindictæ consuleret.

Quæst. 8. An bonum sit turbato Principi erga vxorem ipsam se ei videndam, & prolem obiectare? Resp. Messalina quamquam res aduersæ consilium adimerent, ire obuiàm, & aspici à Marito: quod sæpè subsidium habuerat haud segniter intendit: iussitque vt Britannicus, & Octauia in complexum Patris pergerent.

Quæst. 9. An solùm authores scelerum, an non etiam Ministri de medio amouendi? Resp. Puniendi rerum atrocium ministri: vbi pretia scelerum adepti: scelera ipsa alijs delegens.

Quæst. 10. Minus Sapiens, & diues an magis tutus?

Resp. Cui minor Sapientia, & ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt.

Quæst. 11. An speciosi philosophi vitandi sint? Resp. Præcauendi: quomodo fraudibus inuolutos, aut flagitijs commaculatos: sic specie bonarum artium falsos, & amicitiæ fallaces.

Quæst. 12. In Seditionibus vbi plures, an ibi omnes? Resp. Nec cuiquam vltra fides, aut memoria prioris Sacramenti: sed quod in seditionibus accidit: vnde plures erant, omnes fuere.

Quæst. 13. Quæ fuerit natura Cornelij Fusci? Resp. Non tam præmijs periculorum, quàm ipsis periculis læsus: pro certis, & olim partis, noua, ambigua, & ancipitia malebat.

Quæst. 14. An fidendum custodibus promittentibus se socios fugæ? Resp. Domitiano aderat animus: sed custodes à Vitellio additi, quamuis se socios fugæ promitterent: tanquam insidiantes timebantur.

Quæst. 15. Habere pecunias: senem esse sine successione an tutum? Resp. Domitius Balbus longa senecta, simul orbitate & pecunia insidijs obnoxius.

Quæst. 16. Quæ est pestis Reipublicæ? Resp. Auaritia, & Luxuria pestes: quæ omnia magna Imperia euerterunt.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De Iudicijs.

Quæst. 1. AN Iudex in omnibus iustus esse debeat? Resp. Nolite iniquum aliquid facere in iudicio: in regula, in pondere, in mensura, in statera: iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius.

Quæst. 2.

Quæſt. 2. An ſemper præſtet ab vno iudicari? Reſp. Vera, aut in deterius credita iudice ab vno faciliùs diſcernuntur: odium, & inuidia apud multos valent.

Quæſt. 3. An innocens timeat iudicium? Reſp. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum. Retribuet mihi Dominus ſecundùm iuſtitiam meam: & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi: quia cuſtodiui vias Domini. Quis vnquam innocens perijt, aut quando recti deleti ſunt?

Quæſt. 4. An reus ſe ipſum defendere debeat? Reſp. Proprius metus exercitam quoque eloquentiam debilitat.

Quæſt. 5. Ad quid aduertere debeat qui à Iudice interrogatur? Reſp. Non minus vitandum ſuperuacua dicere, quàm contraria.

Quæſt. 6. Quæ obſeruare debeat Iudex in iudicando? Reſp. Pone autem in rationali iudicij, doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron: quando ingredietur coram Domino, & geſtabit iudicium filiorum Iſrael. Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum: & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas: nec perſonarum acceptio: nec cupido munerum.

Quæſt. 7. Magna ſcelera an facilè aperiantur? Reſp. Magnitudo facinoris metum, probationes, diuerſa interdum conſilia adferunt.

Quæſt. 8. Quæ obſeruare debeat Iudex? Reſp. Immoto eius vultu excipitur: mox authores, & libellos recitat Cęſar: ita moderans ne lenire, neve aſperare crimina videretur.

Quæſt. 9. Quomodo iudicandum? Reſp. Non de legibus, ſed ex legibus.

Quæſt. 10.

Quæst. 10. Quæ in accusatore, & accusato vitanda sint? Resp. Quod neque conuictum noxæ reo, si recentia purgaret: neque defensum absolutioni erat: si teneretur maioribus flagitijs.

Quæst. 11. An rigor in correctione delictorum prosit? Resp. Tum Gn. Pompeus tertiùm Consul corrigendis moribus delectus: & grauior remedijs: quam delicta erant: suarumque legum idem author, & subuersor: quæ armis tuebatur, armis amisit.

Quæst. 12. An testibus processus informatiui plus fidei adhibeatur: quàm inductis ad defensam? Resp. Arguentibus ad perniciem, plus fidei fuit.

Quæst. 13. An intersit Reipublicæ puniri iudices pecunia corruptos? Respon. P. Suillium quæstorem quondam Germanici cum Italia arceretur: conuictus pecuniam ob rem iudicatam accepisse: amouendo in Insulam censuit: tanta contentione animi: vt iureiurando obstringeret Tiberius, id è Republica esse.

Quæst. 14. An semper expediat crimen negare? Resp. Terentius apud Senatum hunc modum orsus est. Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat, adgnoscere crimen, quàm abnuere: sed vtcumque casura res sit, fatebor.

Quæst. 15. Reus an debeat clara distinctione procedere vbi factum est ambiguum? Resp. Terentius ait: Quid ergo hæc indistincta defensio, & promiscua dabitur: imò iustis terminis diuidatur.

Quæst. 16. Quid faciat constantia in reo se defendente? Resp. Constantia orationis: & quia repertus erat qui offerret: quæ omnes animo agitabant: eo vsque potuere vt accusatores eius mulctarentur.

Quæst. 17. An mortuo Primate in carceribus diuturnis: se excusare possit Princeps, de iudicio non lato? ℞. Asinius

nius Gallus moritur egestate cibi peremptus: consultusque Cæsar an sepeliri sineret: non erubuit permittere: vltroque incusare casus, qui reum abstulissent: antequam coràm conuinceretur: scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi iudicium consulari seni: tot consularium parenti.

Quæst. 18. Persecutor insontium exosusne multitudini? Resp. Pœna in L. Balbum decernitur à lætantibus: quia Balbus truci eloquentia habebatur promptus aduersus insontes.

Quæst. 19. An in crimine læsæ maiestatis detur libertas indiciato non confesso, vel conuicto? Resp. Epicharis cum indice composita, nullis testibus innixum facilè confutauit: sed ipsa in custodia retenta est: suspectante Principe haud falsa esse, & quæ etiam vera non probabantur.

Quæst. 20. Tectum crimen sperarine potest: vbi plures sunt complices, & inquisiti? Resp. Frustra silentium, & fidem in tot conscioram animis, & corporibus sperari: Cruciatu, aut præmio cuncta peruia esse.

Quæst. 21. Qui inauditi, & indefensi moriuntur: an præsumantur innocentes? Resp. Cingonius Varrò, & Petronius Turpillianus Consulares inauditi, atque indefensi: tanquam innòcentes perierunt.

Quæst. 22. Magnis mendacijs an desint testes de visu? Resp. Occisum Othonem vagus primùm, & incertus rumor: mox vt in magnis mendacijs interfuisse se quidam, & vidisse affirmabant.

Quæst. 23. An prosit aliquando reo accusatoris potentia? Resp. Nihil æque reo proderat: quàm nimia potentia accusatoris: dari tempus edi crimina, quamuis inuisum, àc nocentem more tamen audiendum censebant.

Quæst. 24. An humilis protestatio innocentiæ, iuuet

apud

apud infensos? Resp. Non defensioni locus, quamuis supplices manus tenderet: humi plerumque stratus, lacera veste, pectus, atque ora singultu quatiens: id ipsum apud infensos incitamentum erat: tanquam nimius pauor conscientiam argueret.

Quæst. 25. Reus si se defendere nequeat, quo aliquando modo euadat? Resp. Africanus neque fateri audebat: neque abnuere poterat: in Vibium Priscum, cuius interrogationibus fatigabatur vltro conuersus: miscendo quæ defendere nequibat societate culpæ inuidiam declinauit.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De Diuinis, & Anima.

Quæst. 1. AN licita sit de diuinis altercatio? Resp. Mala, & impia consuetudo contra Deos disputandi: siue ex animo id fiat, siue simulatè.

Quæst. 2. An anima rationalis sit intrinsecè mala? Resp. Nemo tantùm à naturali lege desciuit: & hominem exuit: vt animi causa malus sit.

Quæst. 3. Quis à dijs exauditur? Resp. Vigilando, agendo, bene consulendo prosperè omnia cedunt: vbi socordiæ te, atque ignauiæ tradideris: ne quicquam Deos implores.

Quæst. 4. An Tacitus contra Deorum pietatem senserit? Resp. Tacitum malè sensisse in illis verbis. Iustis iudicijs comprobatum est: non esse curæ Dijs securitatem nostram: esse vltionem.

Quæst. 5. Quid peruerterit bonitatem, & simplicitatem naturæ humanæ? Resp. Vetustissimi mortalium nulla adhuc humana libidine, sine probro scelere: eoque sine pœna, aut coercitionibus agebant: neque præmijs opus erat:

erat: cum honesta suopte ingenio peterentur: & vbi nihil contra metum cuperent, nihil per metum vetabatur. At vbi exui æqualitas, & pro modestia, & pudore ambitio, & vis incedebat, prouenere dominationes: multosque apud populos æternum mansere.

Quæst. 6. Quare aduocati mercedem accipere iure optimo possint? Resp. Si in nullius mercedem negotia tueantur: pauciora fore, nunc inimicitias, accusationes, odia, & iniurias foueri: vt quomodo vis morborum pretia medentibus: sic fori tabes pecuniam aduocatis ferat. Inopia aduocatorum potentioribus aperit vim oppressionis: & cum eloquentia gratuitò non contingat: & curæ familiares omittantur alienis negotijs intento. Sublatis studiorum pretijs etiam studia peritura.

Quæst. 7. An cœlum magna scelera conuincat? Resp. Noctem sideribus illustrem, & placido mari quietam: quasi conuincendum ad scelus dij præbuere.

Quæst. 8. Viri magni licet fidei lumine destituti ante mortem, an de immortalitate animæ sermonem habuerint? Resp. Thrasea maximè intentus Demetrio Cynicæ institutionis Doctori: cum quo vt coniectare erat, ex intentione vultus: & auditu, si quæ clarius proloquebatur: de natura animæ, & dissociatione spiritus corporisque inquirebat.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De Ministris.

Quæst. 1. AN pauci sint summè exaltandi? Resp. Vt pauci illustrentur, mundus euertitur: vnius honor orbis excidium est.

Quæst. 2. An Minister debeat ostentare potentiam? Resp.

Resp. Fuit inter irritamenta inuidiæ, domus foro imminens festo ornatu. Seianus excessit equestre fastigium. Omne id, quod communem sortem excedit: æmulationi, inuidiæque aliorum patet.

Quæst. 3. An initio ministerij quilibet se bonum ostendat? Resp. Incipiente potentia, bonis consilijs innotescendum.

Quæst. 4. Quæ fœlicitas est facilè mutabilis? Resp. Aulici ad nutum Principis: modò beati, modò miseri, & infœlices fiunt.

Quæst. 5. An Cornelius Tacitus possit argui de crimine læsæ maiestatis, eò quòd arcana status reuelauerit? Resp. Propalauit ea, quæ non ex munere, sed acri ingenio penetrauit.

Quæst. 6. Quis negotijs aptus? Resp. Poppæus Sabinus par negotijs, neque supra erat.

Quæst. 7. An potentum suasionibus moueri debeamus? Resp. Suasio ab eo, qui iubere potest, vim necessitatis habet.

Quæst. 8. Familiaris Principi an sit infra leges? Resp. Haud minus liberi doloris documentum, idem Piso mox dedit: vocata in ius Vrgulania, quam supra leges amicitia Augustæ extulerat.

Quæst. 9. Cauto Principi, an sat cauta oratio? Resp. Vnde angusta, & lubrica oratio, sub Principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

Quæst. 10. Quæ fuere Seiani initia, & finis? Resp. Initium, & causa pœnes Ælium Seianum cohortibus prætorijs præfectum. Genitus Vulsinijs Patre Seio Strabone equite Romano: & prima iuuenta C. Cæsarem Diui Augusti nepotem sectatus: non sine rumore Apicio diuiti, & prodigo stuprum venum dedisse: mox Tiberium varijs artibus

tibus deuinxit adeò: vt obſcurum aduerſus alios, ſibi vni incautum intectumque efficeret: non tam ſolertia, (quippe iiſdem artibus victus eſt) quam Deum ira in rem Romanam, cuius pari exitio viguit ceciditque.

Quæſt. 11. Quomodo ſe gerunt amici erga Principi exoſum? Reſp. Quidam ſalutatione reddita ſtatim auerti: plerique inceptum ſermonem abrumpere: inſiſtentibus contrà, irridentibuſque qui Seiano fautore aderant.

Quæſt. 12. An Miniſtri ſpectent magis ſuccedentem, quàm cadentem Principem? Reſp. Tiberius Macroni exprobrauit, non abdita ambage: Occidentem ab eo deſeri: Orientem ſpectari.

Quæſt. 13. An gratia valida Principis, & extrema ſenectus ſufficienter tueantur miniſtrum in aula? Reſp. Inter quæ præcipuus propugnator eius Vitellius validiſſima gratia, ætate extrema: adeò incerta ſunt potentium res: accuſatione corripitur.

Quæſt. 14. Quis exitus inhoneſtus Miniſtris? Reſp. Tigellinus accepto ſupremæ neceſſitatis nuntio: inter ſtupra concubinarum, & oſcula, & deformes moras, ſectis nouacula faucibus infamem vitam fœdauit, etiam exitu ſero, & inhoneſto.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

De locis munitis, & regimine Prouinciarum.

Quæſt. 1. AN loca munita, & prouinciæ inacceſſibiles ſint potentioribus concredendæ? Reſp. Qui imperio inhiant, loca à natura munita ſectantur. Auguſtus inter arcana dominationis, ſepoſuit Ægyptum.

Quæſt. 2. Quid excellentius Duce, vel Rectore prouinciæ?

ciæ? Resp. Excellentibus ingenijs citiùs defuerit ars, qua Ciuem regant: quàm qua superent hostem.

Quæst. 3. An Germani propriè regantur? Resp. Nationem illam regebat Verritus, & Maloriges; in quantum Germani regantur.

Quæst. 4. An Germani armis, & fide alijs gentibus cedant? Resp. Nullos mortalium armis, & fide ante Germanos esse.

Quæst. 5. Quo motiuo trahantur contumaces ad obsequium? Resp. Moneant vos vtriusque fortunæ documenta: ne contumaciam cum pernicie: quàm obsequium cum securitate malitis.

Quæst. 6. Fortitudo gentis, & regionis an suspecta regnantibus? Resp. Virtus porrò, ac ferocia subiectorum ingrata imperantibus: & longinquitas, ac secretum ipsum quò tutius, eò suspectius.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

De Consultatione, & Consiliarijs.

Quæst. 1. AN bonitas consilij desumatur ab exitu? Resp. Omnium rerum incerti sunt exitus: & multa malè consulta, cùm aduersarios inconsultiores nacta sunt, felicem euentum habuerunt: & longè plura, quæ rectè prudenterque consulta, & suscepta videbantur, turpiter contrà ceciderunt.

Quæst. 2. Ad quid respiciendum in publica consultatione? Resp. Conuenit eos, qui de Republica consultant: semper totius maiorem, quàm partium curam, & rationem habere. Vt tutela, sic procuratio Reipublicæ ad vtilitatem eorum, qui commissi sunt: non ad eorum, quibus commissa est, geri debet.

Quæst. 3.

Quæſt. 3. An in conſultatione attendenda ſit votorum pluralitas? Reſp. Neque in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquius eſt iudicatote: cùm poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia & multos, & maiores aliqua in parte ſuperare.

Quæſt. 4. An Princeps debeat petere conſilium? Reſp. Conſilium ſemper à Sapiente perquire. Da verbum in ore meo, & in corde meo conſilium corrobora.

Quæſt. 5. An conſultatio indigeat animo tranquillo? Reſp. Integris animis iudicandum. Tempus ad integram conſultationem neceſſarium.

Quæſt. 6. Quæ ſit anima conſilij? Reſp. Optimum, & tutiſſimum rerum adminiſtrandarum vinculum taciturnitas eſt.

Quæſt. 7. Conſulenti res arduas an aduerſa ſint reſpicienda? Reſp. Nulli mortalium Deus certam futurorum notitiam dedit: nec poſt homines natos inuenias quemquam, cui ex animi ſententia omnia ſucceſſerint: ita vt nulla in re ei ſit aduerſata.

Quæſt. 8. An Princeps indigeat conſilio? Reſp. Ego ita comperi regna, ciuitates, nationes eouſque proſperum imperium habuiſſe: dum apud eos vera conſilia valuerunt: vbicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere: paulò pòſt imminutæ opes: deinde ademptum imperium, poſtremò ſeruitus impoſita eſt.

Quæſt. 9. Euentusne? an ratio, & cauſa conſideranda? Reſp. Vt non modò caſus, euentuſque rerum, qui plerumque fortuiti ſunt: ſed ratio etiam cauſæque noſcantur. Sæpè praua magis, quàm bona conſilia proſperè eueniunt: quia pleraſque res fortuna ex libidine ſua agitat.

Quæſt. 10. Qui maximè aſſentiant prauo conſilio? Reſp.

Resp. Facilem adſenſum Gallo ſub nominibus honeſtis confeſſio vitiorum, & ſimilitudo audientiam dedit.

Quæſt. 11. An bonum conſilium à reprobato authore acceptandum ſit? Reſp. At Antiocho non tam conſilium, quàm author diſplicebat.

Quæſt. 12. An faciliùs conſulamus, quàm conſultum exequamur? Reſp. Conſilium ab omnibus datur: ſed periculum pauci ſumunt.

Quæſt. 13. An hominis puſillanimi conſilia ſint bona? Reſp. Pauidis conſilia in incerto ſunt.

Quæſt. 14. An Princeps ſuum primò ſenſum in conſilio promere debeat? Reſp. Exemit Druſum Conſulem deſignatum dicendæ primo loco ſententiæ: quod alij ciuile rebantur: ne cœteris adſentiendi neceſſitas fieret.

Quæſt. 15. An terrefacto Senatu bona conſilia expectari poſſint? Reſp. Neque Senatus in eo cura, an extrema Imperij dehoneſtarentur: pauor internus occupauerat animos, cui remedium adulatione quærebatur.

Quæſt. 16. Qui factum admittit, an eidem iure adſentiat? Reſp. Scipio ſententiam rogatus de admiſſis Poppææ, inquit: Cùm idem ſentiam quod omnes: putate me idem dicere quod omnes.

Quæſt. 17. An aliqui aduerſentur omnibus conſilijs aliorum licet bonis? Reſp. Laco conſilij quamuis egregij, quod non ipſe afferret inimicus: & aduerſus peritos peruicax.

Quæſt. 18. Sine viribus an conſilium ſufficiat? Reſp. Militum virtus expectatur: apud quos omne honeſti conſilij robur: & ſine quibus quamuis egregia inualida ſunt.

Quæſt. 19. An non etiam in conſilijs eſt ſua infœlicitas? Reſp. Plures tantùm aliorum ſententijs contradicere: vſque euenit in conſilijs infœlicibus, vt optima viderentur, quorum tempus effugerat.

Quæſt. 20.

Quæſt. 20. Sine iudicio an ſufficiat cauſæ honeſtas? Reſp. Sæpè honeſtas rerum cauſas, ni iudicium adhibeas, pernicioſi exitus conſequuntur.

Quæſt. 21. An melius ſit tardum eſſe, quàm properum in conſilio? Reſp. Suetonius Paulinus cunctator natura, & cui cauta potiùs conſilia, cum ratione: quàm proſpera ex caſu placerent.

Quæſt. 22. Qui de re magna conſulit, quid debeat conſiderare? Reſp. Omnes, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt: æſtimare debent: an quod inchoatur Reipublicæ vtile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certè non arduum ſit.

Quæſt. 23. Qui ſuadet quomodo conſiderandus? Reſp. Qui ſuadet conſiderandus eſt, adijciatne conſilio periculum ſuum: & ſi fortuna ceptis affuerit, cui ſummum decus acquiratur.

Quæſt. 24. An hoſtium legati reijciendi ſint? Reſp. Admittendi ſunt, ſed primo quoque tempore dimittendi, non data occaſione de inhoſpitalitate conquerendi.

Quæſt. 25. An miſſio legati ſit facienda perſonæ gratæ ad quem mittitur? Reſp. Placuit igitur Oratorem ad plebem mitti, Mennenium Agrippam facundum virum: & quod inde oriundus erat plebi carum.

CAPVT DECIMVMNONVM.

De Coniugijs.

Quæſt. 1. AN in ineundis conſanguinitatibus auita Nobilitas ſit attendenda? Reſp. Auguſtus in collocanda filia nonnihil de Equitibus Romanis conſultauit.

Quæſt. 2. An Nobilitas auita, & initi matrimonij decus,

cius, reddat hominem gloriæ auidum? Resp. Sed præter paternos spiritus, vxoris quoque Plancinæ nobilitate accendebatur.

Quæst. 3. An tutum sit coniugium, quod pluribus annis tenet distantem maritum? Resp. Simul sexum natura inualidum deseri, & exponi suo luxu cupidinibus alienis: vix præsenti custodia manere illæsa coniugia: quid fore si per plures annos in modum dissidij obliterentur.

Quæst. 4 Quàm sint Nobiles familiæ fœcundæ bonorum Ciuium? Resp Obijt Manlius Lepidus, de cuius moderatione, atque sapientia, in prioribus libris satis collocaui: neque Nobilitas diutiùs demonstranda: quippe Æmilium genus fœcundum bonorum ciuium: & qui eadem familia corruptis moribus, illustri tamen fortuna egere.

Quæst. 5. An cauere debeat Princeps, ne fœmina regiæ stirpis in alienas familias transeat? Resp Cauendum ne fœmina expertæ fęcunditatis: integra iuuenta, claritudinem Cæsarum aliam in domum ferret.

Quæst. 6. Incestuosæ nuptiæ an in Regibus laudandæ? Resp. Pactum inter Claudium, & Agrippinam matrimonium, iam fama, iam amore illicito firmabatur: necdum celebrare solemnia nuptiarum audebant: nullo exemplo deductæ in domum Patrui fratris filiæ.

Quæst. 7 Quæ consideranda sint in maritando Principe? Resp. Quando maritandum Principem cuncti suaderent: deligi oportere fęminam Nobilitate, Puerperijs, Sanctimonia insignem.

Quæst. 8. An vir aliam fęminam laudare in præsentia propriæ vxoris debeat? Resp. Calpurnia illustris fęmina peruertitur: quia formam eius laudauerat Princeps, nulla libidine, sed fortuito sermone: vnde vis Agrippinæ citra vltima stetit.

Quæst. 9.

Quæſt. 9. An præualeant ſæpè illicita in matrimonialibus? Reſp. Nero vxore ab Octauia nobili quidem , & probitatis ſpectatæ fato quodam, an quia præualent illicita abhorrebat.

Quæſt. 10. Quid obtinuit Otho ex laudata vxore apud Principem? Reſp. Deijcitur familiaritate ſueta, poſt congreſſu, & comitatu Otho: & poſtremò ne in vrbe æmulatus ageret: prouinciæ Luſitaniæ præficitur.

Quæſt. 11. Quod eſt firmius imperij munimentum? Reſp. Non legiones, non claſſes perinde firma imperij munimenta: quàm numerum liberorum.

CAPVT VIGESIMVM.

De Beneficijs.

Quæſt. 1. AN beneficia ſemper ſint accepta? Reſp. Vincula charitatis apud concordes: ſunt incitamenta irarum apud infenſos.

Quæſt. 2. An diuerſa ſit ratio Principis, & priuati in beneficijs datis, vel receptis? Reſp. Magnanimi vi ri libenter meminiſſe ſolent: quos beneficio affecerint: à quibus autem acceperint non item.

Quæſt. 3. An alienis bonis amici gratificandi? Reſp. Turpe alijs gratificari per dedecus.

Quæſt. 4. An ſceleris via, ſit amicitiæ vinculum? Reſp. Leuis poſt admiſſum ſcelus gratia, deinde grau us odium. Proditores etiam ijs, quos anteponunt inuiſi ſunt.

Quæſt. 5. Quod eſt amici munus erga defunctum? Reſp. Non hoc præcipuum amicorũ munus eſt proſequi defunctũ ignauo quæſtu: ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandauerit exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, ſi me potiùs, quàm fortunam meam fouebatis.

Quæſt. 6. An honor datus à Principe, ſuppleat defe-ctum miniſtri illum non tribuentis? Reſp. Ruffo Cæſar addidit ciuicam coronam: quòd non eam quoque Apronius iure proconſulis tribuiſſet: queſtus magis, quàm offenſus.

Quæſt. 7. An vetuſta Nobilitas obſcuretur: quando Princeps viles, & abiectorum natalium nobilitat? Reſp. Matios poſthac, & Vedios, & cætera equitum Romanorum præualida nomina referre nihil attinuerit: cùm Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat: ſibique & legibus adæquauerat.

Quæſt. 8. Omiſſio vectigalium an populis grata? Reſp. Dubitauit Nero an cuncta vectigalia omitti iuberet: idque pulcherrimum donum generi mortalium daret.

Quæſt. 9. An amicus in paranda ſibi gloria, amici infamiam vitare debeat? Reſp. Non eſt ſapienti viro decorum, vnde amico infamiam parat: inde gloriam ſibi recipere.

Quæſt. 10. Qui valdè metuit, an ſit largus in promiſſis? Reſp. Vitellius non deerat vultu, voce, lachrymis miſericordiam elicere: largus promiſſis, & quæ natura trepidantium eſt immodicus.

CAPVT VIGESIMVMPRIMVM.

De Hominum affectibus.

Quæſt. 1. AN fraterna odia ſint periculoſa, & conciliabilia? Reſp. Magnas oportet eſſe cauſas, quæ magnam beneuolentiam, & amicitiam diſſipent: & reconciliatio ſemper cicatricem ſordidam, & latente malo infectam retinet.

Quæſt. 2. An æqui homines ſint executores, ſicut promiſſores? Reſp. Humanæ conditionis quadam imbecillitate

tate fit,vt etiam viri magni,& graues,sæpè numero promptiores in promittendo sint, ac minando, quàm postea perficere possint. Verè enim cupressis similia sunt talia promittentium verba: quæ sublimes cùm sint,ac pulchræ, & procul egregium quicquam polliceri videantur: vbi propè accesseris fructum non habent. Elusus à Seiano per vana promissa.

Quæst. 3. Quæ est factionum fomes? Resp. Metus, & Inuidia.

Quæst. 4. An adulatio obesse possit? Resp. Adulatio moribus corruptis perinde anceps si nulla, & vbi nimia est.

Quæst. 5. An modestia sit comes magnæ fortunæ? Resp. Commune humanæ fragilitatis malum: contemptor ille animus est, & superbus: vt nihil tam solidum, tam leue, atque inane sit, quod non illico in secunda fortuna supra cæteros extollat.

Quæst. 6. Quid contra dicendum de Romanis? Resp. Romanorum animi, neque secundis efferri: neque minui aduersis.

Quæst. 7. An homines sint propensi ad odium? Resp. Sic est inter homines comparatum, vt facile suscipiant inimicitias: neque respiciunt ad eum, qui comitari plerumque solet tristem, & luctuosum exitum. Tanta est in animis hominum cupiditas vlciscendi, vt in omnes temporum occasiones excubent: eaque oblata occultatam diu iram effundant.

Quæst. 8. An homines sequantur fortunatum? Resp. Ruunt in seruitium Patres, Consules, Equites.

Quæst. 9. An in tenebris faciliùs aperiantur secreta? Resp. Pronior in tenebris affirmatio.

Quæst. 10. An aliquorum ingenium, aliorum malo nutriatur? Resp. Celebre Trionis ingenium inter accusato-

res auidum famæ malæ: Domitius Afer quoquo crimine clarescere properus.

Quæst. 11. An faciliùs corrigamus, quàm corrigamur? Resp. Longè procliuius est alios reprehendere, quàm sibi ipsi moderari: facillimèque fit, vt quarum causa homines pœna dignos alios iudicant: has easdem ipsi admittant.

Quæst. 12. An humani conceptus sint fallibiles? Resp. Facillimo momento mutantur animi hominum: vsuque venit, vt à quibus se adiutum, vel læsum iri quis existimet: eos longè alios experiatur.

Quæst. 13. De quibus homines sincerè loquantur? Resp. Maximè solitum prodere de his, quos mors odio, aut gratia exemit.

Quæst. 14. Quo habitu simuletur? Resp. Simulatio habitum, ac voces dolentium induit.

Quæst. 15. Quæ est simulationis, & deceptionis nota? Resp. Affectatio persuasionis. Semper insitum homini, quantò magis falsa sunt quæ fiunt, tanto plura facere.

Quæst. 16. Plus ne offendimus si multum spei subtrahamus, vel parum rei auferamus? Resp. Omnes iniquiore animo ferunt: si rebus concessis priuentur: quàm si rebus speratis frustrentur.

Quæst. 17. A quibus magis metuere an à fortibus, vel timidis debeamus? Resp. Omne timidum ad cædes, & scelera pronum, & promptum fertur.

Quæst. 18. Quomodo in amicitijs nos continere debeamus? Resp. Ita homines in vsu amicitiæ versari iubentur: vt meminerint, eam ad grauissimas inimicitias posse conuerti.

Quæst. 19. Quod est tempus climatericum imperiorum, vel rerumpublicarum? Resp. Annus quingentesimus: plerumque enim obseruatum est, eo vel corruisse,

vel

vel magnam alterationem sustinuisse.

Quæst. 20. Quæ sit natura superborum? Resp. Ruffus aduersus superiores tristi adulatione, minoribus arrogans, paribus difficilis: consulare imperium, triumphi insignia, & mox Africam obtinuit.

Quæst. 21. An Senem deserant vitia? Resp. Iam Tiberium corpus, iam vires: nondum dissimulatio deserebat.

Quæst. 22. Adulatio nouum ne malum? Resp. Quorum authoritates, & adulationes retuli: vt sciretur vetus id in Republica malum.

Quæst. 23. Libertas dicendi an finaliter contradicto odiosa? Resp. Libertas loquendi, & fides in præsentia, quibus resistit offendit, deinde illis ipsis suspicitur, laudaturque.

Quæst. 24. Seniores an iunioribus facilè pareant? Resp. Non aliam ob causam, quàm quia fratris filio iuueni Patruus senex parere dedignabatur.

Quæst. 25. An sit facilis aliorum censura? Resp. Res gestas taxare facillimum cuiuis: at res egregias gerere perdifficile, paucisque datum.

Quæst. 26. Ad ardua quibus homines impellantur? Resp. Nihil non aggressuros homines, si magnis conatibus magna præmia proponantur.

Quæst. 27. Quantum augeat morborum apprehensio veneni hausti? Resp. Sæuam vim morbi augebat persuasio veneni à Pisone accepti.

Quæst. 28. Vetera ne an recentia, magis consideramus? Resp. Vetera extollimus recentium incuriosi.

Quæst. 29. In periculo Reipublicæ qui mœreant, qui lætentur? Resp. Optimus quisque Reipublicæ cura mœret: multi odio præsentium, & cupidine mutationis suis quoque periculis lætabantur.

Quæst. 30.

Quæst. 30. Volens arctam simulare amicitiam, quos sermones introducat? Resp. Sermones vetita miscentes speciem arctæ amicitiæ faciunt.

Quæst. 31. Qui solo metu tenentur, an facilè, & quando deficiant? Resp. Qui metu magis, quàm beneuolentia subiecti, repertis auctoribus sustulerant animum.

Quæst. 32. An Roma faciat vrbanos homines? Resp. Tiridatis ingenium come, Romanas per artes sperabant.

Quæst. 33. An Seneca fuerit suarum litterarum ostentator? Resp. Nero clementiam suam crebris orationibus obstrinxit, quas Seneca testificando, quàm honesta præciperet: vel iactandi ingenij voce Principis vulgabat.

Quæst. 34. Pauidis ingenijs, & litigiosis, an audacter respondendo vis inferatur? Resp. A. Vitellius optimum iurgio lacessens, & respondenti reticens, vt pauida ingenia solent.

Quæst. 35. An pauperes sint audaces? Resp. Syllam inopem, vnde præcipuam audaciam: & simulatorem segnitiæ, dum temeritati locum reperiret.

Quæst. 36. An obscuris facilè assentiamur? Resp. Cupidine humani ingenij libentiùs obscura credi.

Quæst. 37. Homines an magis præsentia æstiment? Resp. Antepofuere quoque cæteri Tribuni, & Centuriones præsentia dubijs, & honestis.

Quæst. 38. Ignaui an se verbis faciant feroces? Resp. Ignauissimus quisque, & vt res docuit in periculo non ausurus: nimij verbis, linguæ feroces.

Quæst. 39. Quando silentium? Resp. Non tumultus, non quies quale magni metus, & magnæ iræ silentium est.

Quæst. 40. An criminari sit facile? Resp. Licinius Proculus cuique criminando, quod facillimum factu est: prauus, & callidus bonos, & modestos anteibat.

Quæst. 41.

Quæst. 41. An in homine affectus inuidiæ sit naturalis? Resp. Insita mortalibus natura recentem aliorum fœlicitatem ægris oculis introspicere: modumque fortunæ à nullis magis exigere, quàm quos in æquo vident.

Quæst. 42. Quis clarus est apud timentem? Resp. Satis clarus est apud timentem, quisquis timetur.

Quæst. 43. An faciliùs hominum, quàm morum mutatio contingat? Resp. Successere Mucianus, & Marcellus, & magis alij homines, quàm alij mores.

Quæst. 44. An spes vitæ infringat magnos animos? Resp. Non fefellit Ciuilem ea inclinatio, & præuenire statuit, super tædium malorum, etiam spe vitæ; quæ plerumque magnos animos infringit.

Quæst. 45. Qui ante euentum cauti, an post eum insolescant? Resp. Illi modò cauti, & sapientes: prompti post euentum, & magniloqui erant: iniquissima hæc bellorum conditio, prospera omnes sibi vendicant: aduersa vni imputantur.

Quæst. 46. An ignota valdè æstimentur? Resp. Omne ignotum pro magnifico est.

Quæst. 47. Quid est proprium humani ingenij? Resp. Proprium humani ingenij est, odisse quem læseris.

Quæst. 48. An inter pocula omnes sint milites? Resp. In omnibus circulis, ac si Dijs placet, etiam in conuiuijs sunt qui exercitus in Macedoniam ducant, vbi castra locanda sint, loca præsidijs occupanda: quando, & quo saltu intranda Macedonia.

Quæst. 49. An aliqui repentinis magis, quàm meditatis apti? Resp. Tiberius repentinis responsionibus melior, quàm meditatis.

C A-

156

CAPVT VIGESIMVMSECVNDVM.

De Libidine dominandi, & ratione Status.

Quæſt. 1. AN Libido dominandi, motiuo rationis coerceatur? Reſp. Nulla ſunt vel naturæ, vel amicitiæ, aut beneficentiæ ſatis firma vincula: vbi maieſtatis, & imperandi furioſum deſiderium inuaſerit: hoc omnia facillimè proſternuntur, & conculcantur. Cupido dominandi omni affectu flagrantior.

Quæſt. 2. An arrepta dominatione deſint miniſtri? Reſp. Primæ dominandi ſpes in arduo: vbi ſis ingreſſus adſunt ſtudia miniſtri.

Quæſt. 3. Præſtatne amor authoritati in dominatione? Reſp. Præſtat authoritas, & initio, & progreſſu: quia authoritate multi imperium adepti: & illud ſtabilius quàm amore, qui mutabilior eſt tutati ſunt.

Quæſt. 4. Quid in mota ſeditione agendum? Reſp. Nullum aliud gliſcentis diſcordiæ remedium: quàm ſi vnus alterue maximè prompti ſubuertantur. Vt mare ſua natura tranquillum ventorum vi agitatur: ſic populus ſua ſponte placatus, hominum ſeditioſorum vocibus, vt violentiſſimis tempeſtatibus attollitur: quibus oppreſſis ipſum vulgus pauidum, & ſocors redditur.

Quæſt. 5. Quid agere debeant proximè ad regnum ſucceſſuri? Reſp. Cum primis verò ſpes ſuas occultè, & in ſinu foueant: ne incauta, & immatura iactatione aliquid ad regnum obtinendum moliri videantur.

Quæſt. 6. An imperium malis artibus quæſitum bonis conſeruari ſoleat? Reſp. Impoſſibile quodammodo eſt: vt qui fraude, vi, aut largitionibus potentiam ſibi quæſiuit: eam poſtmodum iuſtitia, clementia, atque

alijs

alijs bonis artibus tueatur.

Quæst. 7. Quodnam ius proprium sit Gallorum? Resp. Quærentibus Romanis quodnam illud ius esset agrum à possessoribus petere, aut minari arma: ecquid in Hetruria rei Galli esset. Respondent Galli ferociter: se in armis ius ferre, & omnia virorum fortium esse.

Quæst. 8. Quid cum iuuene in vrbe lasciuiente agendum sit? Resp. Nec multò pòst Drusus in Illyricum missus est, vt suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet: simul iuuenem vrbano luxu lasciuientem melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, vtroque filio legiones obtinente.

Quæst. 9. An non præstans opem auxilium implorare possit? Resp. Responsum est, non iure eum aduersus Cheruscos arma Romana inuocare: qui pugnantes in eundem hostem Romanos nulla ope iuuisset.

Quæst. 10. An omnium regiminum perfectius sit Monarchicum? Resp. Vnum Reipublicæ corpus vnius animo regendum. Sallustius monuit ne Tiberius vim principatus resolueret cuncta ad Senatum vocando: non aliter imperium constare, quàm si ratio vni reddatur.

Quæst. 11. Rebellibus quomodo, & quando resistendum? Resp. Subditorum rebellioni, antequam confirmetur, est primo quoque tempore obuiàm eundum. Omne malum nascens facilè opprimitur: inueteratum fuit plerumque robustius.

Quæst. 12. Quando agitur de Principe, & Lege quid præualeat? Resp. Lætabatur Tiberius cùm inter filios eius, & Leges Senatus disceptaret: victa est sine dubio Lex, sed neque statim & paucis suffragijs: quomodo cùm etiam leges valerent vincebantur.

Quæst. 13. Quid nouiter inducta in exteros domina-

 tione

tione agendum sit? Resp. Cappadoces in formam Prouinciæ redacti, Q. Veranium Legatum accepere: & quædam ex regijs tributis diminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur.

Quæst. 14. Mali viri in malam regionem abdicandine vt cœli iniuria pereant? Resp. Patrum consultum, vt quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, queis idonea ætas, in Insulam Sardiniam veherentur: coercendis illic latrocinijs etsi ob grauitatem cœli interijssent, vile damnum.

Quæst. 15. Ad Regnum capiendum conducatne aura popularis? Resp. Arminius abscedentibus Romanis, & pulso Maroboduo regnum adfectans libertatem popularium aduersam habuit.

Quæst. 16. An magis Principum, quàm Reipublicæ cura habenda sit? Resp. Principes mortales, Rempublicam æternam esse.

Quæst. 17. An Princeps domestica mala operiri sinat? Resp. Cæsar per tormenta interrogari passus non est: de his, quæ ad domum suam pertinerent.

Quæst. 18. Coniurationes Princeps, an primò, vel vltimò aperire debeat? Resp. Tum demum aperuit Tiberius compertum sibi etiam ex P. Quirinij seruis, veneno eum à Lepida petitum.

Quæst. 19. An præstet bellum, miseræ paci? Resp. Misera pax, bello benè mutatur.

Quæst. 20. An Princeps debeat personaliter occurrere rebellioni non propinquæ? Resp. Tiberius causas cur non ipse, non Drusius profecti ad id bellum forent, adiunxit magnitudinem imperij extollens: non decorum Principibus si vna alterave Ciuitas turbet: omissa Vrbe vnde in omnia regimen.

Quæst. 21.

Quæst. 21. Princeps antequam coerceat abusus, quæ præconsiderare debeat? Resp. Tiberius sæpè apud se pensitator, an coerceri tam profusæ libidines possent: num coercitio plus damni in Rempublicam posset, quàm indecorum attrectare, quod non obtineretur, vel retentum, infamiam, & ignominiam virorum illustrium posceret.

Quæst. 22. Quomodo Potentes pacem petant? Resp. Antequam arma inciperent mittere legatos, amicitiam, obsequiumque memoraturos, & mansura hæc: si nullo nouo onere tentarentur: sin vt victis seruitium indiceretur: esse sibi ferrum, & iuuentutem, & promptum libertati, aut ad mortem animum.

Quæst. 23. An liceat priuato ferre iudicium de causis Principem mouentibus in alicuius exaltatione? Resp. Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros, & quibus de causis extollat. Abditos Principis sensus, & si quid occultius parat illicitum exquirere.

Quæst. 24. An fœmina iure de læsa maiestate teneri possit? Resp. Ne fœminæ quidem exsortes periculi: quæ occupandæ Reipublicæ argui non poterant, ob lachrymas incusabantur.

Quæst. 25. Fides integrè quando seruanda? Resp. Sibi fidem integram, & si nullis insidijs peteretur mansuram.

Quæst. 26. Quod ex dominijs est propius libertati? Resp. Populi imperium iuxta libertatem: paucorum dominatio regiæ libidini propior est.

Quæst. 27. An animo scelerati maior sit dominandi, quàm honoris cura? Resp. Macro vxorem suam Enniam immisit amore iuuenem illicere: pactoque matrimonij vincire nihil abnuentem, dum dominationem adipisceretur.

Quæst. 28. Quid agant ad regnum successuri iacta im-

perij alea? Resp. Cæsar audito Tiberium vocem reassumere, & alimenta petere: in silentium fixus, à summa spe, nouissima expectabat. Macro intrepidus opprimi senem iniectu multæ vestis iubet, & discedere à limine.

Quæst. 29. Rex in initio principatus quantum debeat cauere ab atrocitate? Resp. Cuncta in Mitridatem fluxere atrociorem, quàm nouo regno conduceret.

Quæst. 30. Quo medio Romulus aduersos populos conciliauerit, & imperium auxerit? Resp. Conditor noster Romulus tantum sapientia valuit: vt plerosque populos eadem die hostes, & Ciues habuerit.

Quæst. 31. An semel reprobatus, debeat reassumi? Resp. Improbatus longo dissidio, ac si rursus assumeretur, eo ipso superbus.

Quæst. 32. An libido dominandi peruertat pudicitiam fœminarum? Resp. Agrippinæ domi nihil impudicum, nisi dominationi expediret: cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur.

Quæst. 33. An ius sanguinis inferius sit, iure status? Resp. Illi cupido regni fratre, & filia potior, animusque sceleribus paratus.

Quæst. 34. An magnis resolutionibus insit aliquid iniquitatis? Resp. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum: quod contra singulos vtilitate publica rependitur.

Quæst. 35. Præferendum ne bellum anceps, paci inhonestæ? Resp. Nero inter primores Ciuitatis consuluit, bellum anceps, an pax inhonesta placeret: nec dubitatum de bello.

Quæst. 36. Quid valeat apud bonos Statistas? Resp. Scilicet externæ superbiæ sueto, non erat notitia nostri, apud quos vis imperij valet: inania transmittuntur.

Quæst. 37.

Quæſt. 37. An Senecam inuaſerit, libido ſummæ dominationis? Reſp. Neque ignorante Seneca deſtinabatur: vt poſt occiſum opera Piſonis Neronem: Piſo quoque interficeretur: tradereturque Imperium Senecæ quaſi inſonti claritudine virtutum ad ſummum faſtigium delecto.

Quæſt. 38. Homines quomodo regendi? Reſp. Imperaturus es hominibus, qui nec totam libertatem pati poſſunt, nec totam ſeruitutem.

Quæſt. 39. Vt quis Principatum obtineat, an ſeruiliter agat? Reſp. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, iacere oſcula: & omnia ſeruiliter agere ad dominationem.

Quæſt. 40. Ad conſeruandam in fide multitudinem, quæ ratio optima eſt? Reſp. Neque perire nos, neque ſaluos eſſe niſi vna poſſe.

Quæſt. 41. Principum inſectatores ad fauorem ſucceſſoris, ab ipſo ſucceſſore an perſecutionem patiantur? Reſp. Non illos Capitolij aſpectus, & imminentium templorum religio: & priores, & futuri Principes terruere, quo minus facerent ſcelus, cuius vltor eſt, quiſquis ſucceſſit. Vitellius poſtea inuenit, omneſque conquiri, & interfici iuſſit: non honore Galbæ: ſed tradito Principibus more munimentum ad præſens, in poſterum vltionem.

Quæſt. 42. In diſcordia ciuili Metropolis, & Senatus, pro parte qua ſtant, faciuntne momentum? Reſp. Sed erat magnum momentum in nomine Vrbis, & prætextu Senatus.

Quæſt. 43. An Victores victis fidere debeant? Reſp. Victores, victoſque nunquam ſolida fide coaleſcere.

Quæſt. 44. Qui dubitarunt de fide Principis: an meliorem bello, an pace cauſam habeant? Reſp. Sed meliorem

in bello causam, quàm in pace habemus: nam qui deliberant desciuerunt. In eiusmodi consilium periculosius esse deprehendi, quàm audere.

Quæst. 45. An amici sint imperij instrumentum? Resp. Admoneri debet Princeps quos probet, quos reformidet: nullum maius boni imperij instrumentum, quàm bonos amicos.

*Q*uæst. 46. Inchoantibus imperium quid vtile? Resp. Inchoantibus imperium, vtilis clementiæ fama.

Quæst. 47. Populo in plures partes sciſſo, an forti præbeat occasionem summam rerum prosequendi? Resp. Libertatem natura etiam multis animalibus datam: virtutem proprium hominis bonum: Deos fortioribus adesse: proinde arriperent vacuè occupatos, integri fessos: dum alij Vespasianum, alij Vitellium foueant, patere locum aduersus vtrumque.

Quæst. 48. An Primores gentis aduersæ retinendi in occasionem, & excipiendi? Resp. Agricola expulsum seditione domestica vnum ex regulis gentis exceperat; ac specie amicitiæ in occasionem retinebat.

Quæst. 49. An metus, & terror sint firma vincula? Resp. Metus, & terror infirma vincula charitatis: quæ vbi remoueris: qui timere desierint, odisse incipient.

CAPVT VIGESIMVMTERTIVM.

De Augurijs, & alijs naturalibus.

Quæst. 1. AN auguria attendenda sint? Resp. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant mentes: vt ex eis annunciarent ventura sibi: ecce facti sunt sicut stipula: ignis combussit eos. Aruspex, Ariolus,

Ariolus, & Augur abominatio est Deo.

Quæst. 2. An ex facie possit elici natura humana? Resp. Agnitio vultus eorum, respondet eis. In facie prudentis lucet sapientia. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis, dentium risus, & incessus hominis enunciant de illo.

Quæst. 3. An liceat euentus politicos ex sideribus aucupari? Resp. Chaldæi leuibus, atque ineptis ingenijs, siderum fallaci interpretatione quęstuosam mendacijs suis caliginem inijciunt.

Quæst. 4. Quod est tempus Climactericum Imperiorum, vel rerumpublicarum? Resp. Annus quingentesimus: plerumque enim obseruatum est eo, vel corruisse, vel magnam alterationem sustinuisse.

Quæst. 5. An Principis sit, gloriam quærere ex fortuitis? Resp. Cuncta Tiberius etiam fortuita ad gloriam vertebat.

Quæst. 6. An multos extollat morum facilitas? Resp. Cassius facilitate sæpius, quàm industria commendabatur.

Quæst. 7. An quis intereat barbaro victu, si Romano assuetus sit? Resp. Phrahates apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueuerat: instituta Parthorum resumit: patrijs moribus impar morbo absumptus est.

Quæst. 8. An Tiberius fuerit futurorum diuinator? Resp. Caio Cæsari orto sermone L. Sullam irridenti: omnia Sullæ vitia, & nullam eiusdem virtutem habiturum prædixit: simul crebris cum lachrymis minorem ex nepotibus complexus truci alterius vultu: Occides hunc tu inquit, & te alius. Et Galbæ dixit: Et tu Galba aliquando imperium degustabis.

Quæst. 9. Fortuita an consideranda? Resp. Obseruatum id an-

id antiquitus comitijs dirimendis non terruit Galbam; quo minus in castra pergeret: contemptorem talium vt fo rtuitorum: seu quæ facto manent, quamuis significata non vitantur.

Quæst. 10. Quod genus hominum sint Mathematici? Resp. Genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax: quod in Ciuitate nostra & vetabitur semper, & retinebitur.

Quæst. 11. An sit merè fabulosum dari aues prænuncias funerum? Resp. Vt conquirere fabulosa, & fictis oblectare legentium animos procul grauitate crediderim: ita vulgatis, traditisque demere fidem non ausim. Die quo Bedriaci certabatur, auem inusitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse incolæ memorant. Nec deinde cætu hominum aut circumuolitantium alitum territam, pulsamue, donec se Otho interficeret: tum ablatam ex oculis, & tempora reputantibus initium finemque miraculi: cum Othonis exitu comperisse.

CAPVT VIGESIMVMQVARTVM.

De Rebus Militaribus.

Quæst. 1. AN dimicatio generalis, à Duce sit ineunda sine necessitate? Resp. Sapientissimum est collatis signis, nisi summa necessitudo, aut summa occasio data sit, nunquam decertandum esse.

Quæst. 2. In magna inuasione quid agendum? Resp. Labore, & diligentia tanta vis intra vnum damnum sistitur.

Quæst. 3. An in Duce belli bonitas sit commendabilis? Resp. Non posse quemquam eodem tempore, & bonum virum, & bonum Ducem agere.

Quæst. 4. Ad quid principaliter vtamur propugnaculis?

lis? Resp. Leui præsidio ingentes exercitus coercentur.

Quæst. 5. An in bellis dominetur Inuidia, & Ambitio? Resp. Nimirum vbique dominatur inuidia, & ambitio, in bellis autem maxime: ac sæpè numero fit, vt dum alter in alterius gratiam nihil vult suscipere molestiæ, omittantur præclarissimæ rerum gerendarum occasiones: & aduersarij hoc ipsum deinde in vsum suum vertant.

Quæst. 6. An præpotens exterorum auxilium acceptandum sit? Resp. Meritò cauendum omnibus Principibus est: & exempla veterum pro documentis habenda: ne ita externis credant auxilijs, vt non plus sui roboris, suarumque propè virium in castris habeant.

Quæst. 7. An Respublica si in se diuisa sit, faciliùs opprimatur? Resp. Propinquantibus Romanis, bellum externum concordiam peperit.

Quæst. 8. Disciplina militaris à quonam potissimùm pendeat? Resp. Corbulonem intentum, & magnis delictis inexorabilem scias: cui tantùm asperitatis etiam aduersus leuia credebatur.

Quæst. 9. Celer executio an arguat animi magnitudinem? Resp. Barbaris cunctatio seruilis, statim exequi regium videtur.

Quæst. 10. Quis sit verus miles? Resp. Ac sanè quod difficillimum in primis est: & prælio strenuus erat, & bonus consilio.

Quæst. 11. Vbi pugna ferox succedit? Resp Hostem à tergo palus, Romanos flumen, aut montes claudebant: vtrisque necessitas in loco: spes in virtute, salus in victoria.

Quæst. 12. An capiendus, an potiùs delendus sit hostis? Resp. Germanicus orabat, insisterent cædibus, nil opus captiuis, solam internecionem gentis finem bellò fore.

Quæst. 13. An Dux belli posito victoriæ trophæo suam

laudem debeat reticere? Resp. De se nihil addidit metu inuidiæ, an ratus conscientiam facti satis esse.

Quæst. 14. Fortitudo animi in aduersis quanti sit momenti? Resp. Quippè inuictos, & nullis casibus superabiles Romanos prædicebant: qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum, virorumque corporibus littora: eadem virtute, pari ferocia, & veluti aucti numero irrupissent.

Quæst. 15. Gloriæ belli Ducis ad speciem honorem deferendo solentne Principes insidiari? Resp. Præsente Germanico annum efficiendis cæptis, acriùs modestiam eius aggreditur, alterum Consulatum offerendo.

Quæst. 16. Parerene debeat Dux mandato Principis in suæ gloriæ detractionem? Resp. Haud cunctatus est vltra Germanicus, quamquam fingi ea, seque per inuidiam partoiam decori abstrahi intelligeret.

Quæst. 17. Quid Generalis exercitui dicere debeat? Resp. Vobis arma, & animus sit: mihi vestræ virtutis consilium, & regimen relinquite.

Quæst. 18. Generalis quando festinare debeat ad pugnam? Resp. Quibus rebus Cæsar vehementer commotus, maturandum sibi existimauit: ne si noua manus Sueuorum, cum veteribus copijs Ariouisti sese coniunxisset: minus facilè resisti posset.

Quæst. 19. Quæ faciant desertorem? Resp. Ius commercij, dein cupido augendi pecuniam, postremum obliuio Patriæ, suis quemque sedibus hostilem in agrum transtulit.

Quæst. 20. An in seditione militari antiquo more, decima neci daretur seditiosorum? Resp. Raro ea tempestate, & è vetere memoria facinore decumum quemque ignominiosæ cohortis sorte ductos fusti necat.

Quæst. 21.

Quæst. 21. Militarem animum Ducis, quomodo fœmina solari possit? Resp. Quoties Diuum Augustum in Orientem, atque Occidentem meauisse Comite Liuia: se quoque in Illyricum profectum, & si ita conducat alias ad gentes iturum, haud semper æquo animo, si ab vxore carissima, & tot communium liberorum parente diuelleretur.

Quæst. 22. Quis mitti debeat ad opprimendam seditionem? Resp. Præmissus cum delecta manu Iulius Indus, è ciuitate eadem discors Floro: & ob id nauandæ operæ auidior inconditam multitudinem adhuc disiecit.

Quæst. 23. Nondum exercitu instructo, quomodo propositis per hostem respondendum? Resp. Sabinus donec exercitus in vnum conduceret, mitia responsa dedit.

Quæst. 24. An milites debeant ab inani rumore amoueri: & adictus securè, & ordinatè inferendos suaderi? Resp. Sabinus circumire, hortari, ne ad ambigua sonitus, aut simulationem quietis, casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia seruaret: immoti, telisque non in falsum iactis.

Quæst. 25. An debeat permittere Princeps Senatorem de re militari, aut exercitu sibi aliquam auctoritatem asserere? Resp. Iulium Gallionem violenter increpuit Tiberius: Quid illi cum militibus? quos neque dicta Imperatoris, neque præmia nisi ab Imperatore accipere par esset: reperisse prorsus, quos Diuus Augustus non prouiderit: an potiùs discordiam, & seditionem à Satellite Seiani quæsitam? quia rudes animos nomine honoris, ad corrumpendum militiæ morem propelleret.

Quæst. 26. An habitatores locorum alpestrium robusti sint? Resp. Hiberi, Albanique saltuosos locos incolentes duritiæ, patientiæque magis insueuere.

Quæst. 27. An Generali omnibus alijs motiuis maius esse debeat Regis mandatum? Resp. Corbulo accepto Claudij præcepto offundebatur re subita: metus ex Imperatore, contemptio ex Barbaris, ludibrium apud socios: signum tamen receptui dedit.

Quæst. 28. Quid agere debeat belli Dux, si propè confinia Status, duo Principes exteri prælientur. Resp. Scriptum P. Attellio Lystro, qui Pannoniæ præsidebat: legionem, ipsaque è prouincia lecta præsidia pro ripa componeret: subsidiō victis, & terrori aduersus victores: ne fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent.

Quæst. 29. Nouus exercitus Imperator quid in initio maximè agere debeat? Resp. P. Ostorius Britanniæ Legatus gnarus primis euentibus metum, aut fiduciam gigni, citas cohortes rapit. Gnarus vt initia belli prouenissent famam in cætera fore.

Quæst. 30. Rebelles si tales aperiantur, & fortiter constringantur, an vltima tentent? Resp. Illi conscientia rebellionis, & obseptis effugijs multa, & clara facinora fecere.

Quæst. 31. Quæ sint belli Ducum motiua, quibus milites in arma fortiter concitent? Resp. Gentium ductores circumire, hortari, firmare animos minuendo metu, accendenda spe: illum diem, illam aciem recuperandæ libertatis, aut seruitutis initium fore: meminissent acta maiorum, qui Dictatorem Cæsarem pepulissent: quorum virtute vacui à securibus, & tributis intemerata coniugum, & liberorum corpora retinerent.

Quæst. 32. An intersit victori, magni facere semper victoriam? Resp. Cæsar dum suum decus extollit, addidit gloriam victo.

Quæst. 33. Quæ sint veri Ducis partes? Resp. Corbulo

cultu

cultu leui, capite intecto, in agmine, in laboribus frequens adesse, laudem strenuis, solatium inualidis, exemplum omnibus ostendere.

Quæst. 34. Secundis in rebus an magni Duces vtantur moderatione? Resp. Corbulo tamen quamuis secundis rebus suis, moderandum fortunæ ratus.

Quæst. 35. Quomodo gloria, & præda habenda sunt? Resp. Gloriæ, & prædæ nonnihil pactum: si aut gloriam cum modo, aut prædam cum cura habuisset.

Quæst. 36. Belli Dux an solum hostem respicere debeat? Resp. Comitabatur exercitum præter alia sueta bello, magna vis Camelorum onusta frumento: vt simul hostem, famemque depelleret.

Quæst. 37. In bello ciuili an sit festinandum? Resp. Nihil in discordijs ciuilibus festinatione tutius: vbi facto magis, quàm consulto opus est.

Quæst. 38. In bello ciuili, Prouinciæ ad quam partem facilè transeant? Resp. Eadem formido Prouinciam Narbonensem ad Vitellium vertit: facili transitu ad proximos, & validiores.

Quæst. 39. An Sarmatæ sint boni pedites? Resp. Mirum dictu vt sit omnis Sarmatarum virtus, velut extra ipsos: nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum.

Quæst. 40. An liceat quærere militi super mandato Ducis? Resp. Si vbi iubeantur quærere singulis liceat: pereunte obsequio etiam imperium intercidit. Parendo potiùs commilitones, quàm imperia Ducum sciscitando, res militares continentur.

Quæst. 41. Quis exercitus est fortissimus in prælio? Resp. Fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus.

Quæst. 42. A petulantia militari quid expectandum?

Resp. Corrupta iurgijs, aut rixis disciplina, ad postremum Valens è petulantia etiam perfidiam suspectabat.

Quæst. 43. Milites turbidi, & numerosi quomodo corrigantur? Resp. Militari astu cohortes turbidæ, ac si vnà forent præualidæ dispergendæ.

Quæst. 44. An solùm in exercitu, an magis in Ducis virtute fidendum? Resp. Tibi è Iudæa, & Syria, & Ægypto nouem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ: sed firmatus vsu miles, & domitor externi. Classium, alarum, cohortium robora, & fidissimi Reges, ac tua ante omnes experientia.

Quæst. 45. An pulcher exercitus turpitudinem Ducis ostendat? Resp. Militum phaleræ torquesque splendebant, decora facies, & non Vitellio Principe dignus exercitus.

Quæst. 46. Quando hostis aggrediendus? Resp. Vbi compertum Antonio discordes animis, discretos viribus hostium exercitus aggredi statuit: antequam Ducibus authoritas, militi obsequium, & iunctis legionibus fiducia rediret.

Quæst. 47. Præda vrbis quando ad militem, quando ad Ducem pertineat? Resp. Expugnatæ vrbis prædam ad militem: deditæ ad Duces pertinere.

Quæst. 48. Quies gentium an consistat in tributis? Resp. Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendijs, neque stipendia sine tributis haberi queunt.

muæst. 49. An Duces belli, aduersi Ducis bona depopulentur? Resp. Cerialis insulam Batauorum hostiliter populatus, agros villasque Ciuilis intactos nota arte Ducum sinebat.

Quæst. 50. Milites vbi sui securi pro quo certent? Resp. Romani securi de salute, pro gloria certabant.

Quæst. 51. An transitus locorum difficilium, debeant exer-

exercitum animare ne recedat? Resp. Superasse tantùm itineris, syluas euasisse, æstuaria transisse pulchrum, & decorum in frontem: ita fugientibus periculosissima, quæ hodie prosperrima sunt.

Quæst. 52. Quæ sit boni Ducis æstimatio? Resp. Ducis boni Imperatoriam virtutem esse.

Quæst. 53. Qui per arma magnam famam consecutus, quomodo dominantem vrbem intrare debeat? Resp. Ne notabilis celebritate, & frequentia occurrentium introitus esset: vitato amicorum officio, noctu in vrbem, noctu in palatium venit: exceptusque breui osculo, & nullo sermone turbæ seruientium immixtus est.

Quæst. 54. An belli Ducis intersit primò pugnam aggredi? Resp. Qui priùs strinxerit ferrum, eius victoria erit.

CAPVT VIGESIMVMQVINTVM.

De Insidijs, Odio, & Amore.

Quæst. 1. AN amor politicus respiciat personam, vel fortunam? Resp. Sic enim fieri inter homines consueuit: vt quantumquisque fortuna vtatur, tantùm amare, & negligere illum soleamus.

Quæst. 2. An falsum amicum, quàm verum inimicum magis metuere debeamus? Resp. Magis amicorum inuidia, quàm insidiæ inimicorum est metuenda: illud enim apertum, hoc celatum est malum: nocendique fraus potentior est, qua etiam per laudes, & ornamenta homines ferit, & euertit. Totius iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum, qui cùm maximè fallunt: id agunt vt boni videantur.

Quæst. 3. Quàm vitari debeat publicum odium? Resp. Nullum grauius supplicium odio publico.

Quæst. 4.

Quæst. 4. An accusationes sint plerumque falsæ? Resp. Falsa in maius vulgant accusatores. Nimijs studijs accusatorum iure succenset Princeps. Obiecta crimina, pro approbatis non recipienda.

Quæst. 5. An persecuto noceant vetera vitæ acta, & inania? Resp. Vetera, & inania, quæ neque conuicta noxæ reo.

Quæst. 6. Quæ hosti læta videantur? Resp. Hosti læta videntur veneficia.

Quæst. 7. An taciturnitas in offenso arguat remissionem iniuriæ? Resp. Certissimum sæuæ cogitationis indicium in homine irato, est iræ occultatio. Qui silentio dicta, factaque iniuriosa ad tempus transmittunt, & velut secreto suo satiantur: hi implacabilius irascuntur, & conceptum intus odium in vindictæ occasionem reponunt.

Quæst. 8. An tolerantia prioris iniuriæ inuitet inimicos ad maiora? Resp. Qui contumeliam, atque alias iniurias iniustè ab aduersarijs factas, specioso silentio toleranter transmittunt: nihil aliud consequuntur, quàm vt ad maiora, & grauiora scelera æmulos inuitent, & reliquis hominibus ludibrio exponantur. Quod si maturè sese, & acriter consilijs hostilibus obiecerint, non pristinam modò auctoritatem sibi conseruabunt: sed omnibus amicis pariter, & inimicis admirationi, & terrori erunt.

Quæst. 9. Præstatne apud præpotentes esse facetum? Resp. Facetiarum apud præpotentes in longum memoria est. Vbi nimirum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt.

Quæst. 10. Quo motiuo offendere soleamus? Respon. Odio, vel metu.

Quæst. 11. An scelerum instrumenta aliquando sint perfidi medici? Resp. Non ignarus Xenophon medicus summa scelera incipi cum periculo, peragi cum præmio.

Quæſt. 12. Quid faciat fratrum concordia? Reſp. Sed fratres egregiè concordes, & proximorum certaminibus inconcuſſi.

Quæſt 13. Quantum inimicitijs tribuant familiares? Reſp. Germanicus erat clementior: ſed amici accendendis offenſionibus callidi, intendere vera, adgerere falſa.

Quæſt. 14. Inſidiatores an non ſoleant, ſe dicere inſidiatos? Reſp. Reſcuporis Thracia omni poſitus, ſcripſit ad Tiberium ſtructas ſibi inſidias, præuentum inſidiatorem Cotyn.

Quæſt. 15. An amici maximè ad fallendum inducantur? Reſp. Nec tamen Cæſar placitas ſemel artes mutauit: Sed defuncto Pando, quem ſibi infenſum Reſcuporis arguebat: Pomponium Flaccum veterem ſtipendijs, & arcta cum Rege amicitia, eoque accommodatiorem ad fallendum: ob id maximè Mœſiæ præfecit.

Quæſt. 16. Quæ ſunt externa ſigna maleficij? Reſp. Reperiebantur ſolo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, carmina, & deuotiones: & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres, ac tabe obliti: aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis ſacrari.

Quæſt. 17. An melius ſit publicè, vel priuatim odio haberi? Reſp. Vibium Serenum odium publicum tutiorem faciebat.

Quæſt. 18. Quid agat materna in filios prædilectio? Reſp. Atrox Druſi ingenium ſuper cupidinem potentiæ, & ſolita fratribus odia, accendebatur inuidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat.

Quæſt. 19. Timidus, an audax faciliùs opprimatur? Reſp. Seianus ita Druſum fouebat, vt non in eum quoque ſemina futuri exitij meditaretur: gnarus præferocem,

cem, & insidijs magis opportunum.

Quæst. 20. Qui sint scelerum ministri? Resp. Qui sedibus extorres, queis neque boni intellectus, neque mali cura, sed mercede aluntur ministri sceleribus.

Quæst. 21. Qui falsò amant, an fingant odia? Resp. Sensit vetus regnandi, falsos in amore, odia non fingere.

Quæst. 22. Inimicus consulens cædem alicuius, quam formam induat? Resp. Sed consultanti super absolutione Asiatici flens Vitellius commemorata vetustate amicitiæ, vsque Antoniam Principis matrem pariter obseruauissent: dein percussis Asiatici in Rempublicam officijs, recentique aduersus Britanniam militia, quæque alia conciliandæ misericordiæ videbantur, liberum ei mortis arbitrium reliquit.

Quæst. 23. An in barbarorum terris, temperantiæ quandoque vinolentiam interserere expediat? Resp. Italus à Cheruscis celebrari, coli, modò comitatem, & temperantiam nulli inuisam, sæpius vinolentiam, ac libidines grata barbaris vsurpans.

Quæst. 24. Quibus medijs vsi fuerint, scelerati ad opprimendas Regnantium vxores? Resp. Narcissus ad occasiones intentus, longa apud Hostiam Cæsaris mora, duas Pellices, quarum is corpori maximè insueuerat, largitione, ac promissis, & vxore deiecta plus potentiæ ostentando, perpulit delationem subire.

Quæst. 25. An soleant quærere casum filij, qui parentem Principem oppressere? Resp. Nero æquari Britannico studijs matris, arte eorum, queis ob accusatam Messalinam vltio ex filio timebatur.

Quæst. 26. An tempore Romanorum fuerint medici scelerati? Resp. Agrippina quando vltima timebantur, spreta præsentium inuidia prouisam iam sibi Xenophontis

medi-

medici conſcientiam adhibet. Ille tanquam niſus euomentis adiuuaret: pinnam rabido veneno illitam, faucibus eius demiſiſſe creditur.

Quæſt. 27. Quando odium intendatur? Reſp. Nero intellecta inuidia, odium intendit.

Quæſt. 28. An difficile ſit per inſidias delere inſidiantem? Reſp. Tentare veneno Agrippinam arduum videbatur: mulierem vſu ſcelerum, aduerſus inſidias intentam: atque ipſa præſumendo remedia munierat corpus.

Quæſt. 29. Quod eſt remedium inſidiarum, à præpotente intentatum? Reſp. Solùm inſidiarum remedium eſſe, ſi non intelligerentur.

Quæſt. 30. An Burrhus, & Seneca fuerint participes inſidiarum in naui à Nerone Agrippinæ ſtructarum? Reſp. Quod contra ſubſidium ſibi, niſi quid Burrhus, & Seneca expergiſcerentur: quos ſtatim acciuerat, incertum an & ante ignaros.

Quæſt. 31. An Seneca concurrerit in Agrippinæ mortem? Reſp. Pòſt Seneca hactenus promptior reſpicere Burrhum ac ſi ſciſcitaretur, an militi imperanda cædes eſſet.

Quæſt. 32. Explorator Tyranni, ſi ab eo opprimatur an aliqua ei miſeratio? Reſp. Cerialis ne interficeretur vim ſibi attulit: minore quàm cæteri miſeratione: quia proditam C. Cæſari coniurationem ab eo meminerant.

Quæſt. 33. Potentia an pariat odium? Reſp. Vinius in dies quanto potentior eodem actu inuiſior erat.

Quæſt. 34. Quis eſt ordo animorum in atroci facinore? Reſp. Is habitus animorum fuit, vt peſſimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur.

Quæſt. 35. An qui infamant occultè, apertè laudent? Reſp. Manlium Valentem ſecretis criminationi us infamauerat Fabius ignarum, & quo incautior deciperetur,

retur, palam laudatum.

*Q*uæſt. 36. An Sicarij, vel inſidiatores, faciliùs operiantur in vrbe, quàm in caſtris, aut alijs locis? Reſp. Inſidiatores ab Othone in Germaniam, à Vitellio in vrbem miſſi, vtriſque fruſtrà fuit: Vitellianis impunè per tantam hominum multitudinem mutua ignorantia fallentibus: Othoniani nouitate vultus omnibus inuicem gnaris prodebantur.

*Q*uæſt. 37. An quis voluptate vti poſſit cum temperamento? Reſp. Titi non abhorrebat à Berenice iuuenilis animus, ſed gerendis rebus, nullum ex eo impedimentum: lætam voluptatibus adoleſcentiam egit, ſuo quàm Patris Imperio modeſtior.

*Q*uæſt. 38. An quibus apertè adulamur, in occulto inuideamus? Reſp. Inuidia in occulto, adulatio in aperto ſunt.

*Q*uæſt. 39. An ſæpè Parentes ſint diſcordiæ fraternæ cauſa? Reſp. Ne fratribus quidem manſuram concordiam, ni Pater exemplum præbuiſſet.

Quæſt. 40. An proximorum odia acria? Reſp. Iulius Briganticus ſorore ciuilis genitus, vt fermè acerrima proximorum odia ſunt, inuiſus auunculo infenſuſque.

Quæſt. 41. An ſuperbus modeſtia concilietur? Reſp. Superbiam fruſtrà per obſequium, & modeſtiam effugeris.

Corollarium. Quæ ſibi inuicem in vniuerſo correſpondent? Reſp. Inter omnia, & ſuper omnia Deus: inter ſenſibilia Lux: inter animi perfectiones virtus: Deus eſt lux, & virtus omnium: Lux virtus mundi, & imago Dei: virtus lux animi.

FINIS.

29 L